SHOUT
SHARE
IT

1272.5
10

Smithsonian
Institution
Libraries

Gift of

GALE DUNN KAUFMANN

NANCY KAUFMANN

DAVID KAUFMANN

31

6

N:o 378

JOAN. ANTONII SCOPOLI

PHIL. ET. MEDIC. DOCT. CÆSAREÆ REGIÆQUE
MAIEST. IN RE METALLICA A CONSILIIS, IN ARCHIGYMNASIO TICINEN. PUBL. BOTANICES ET CHEMIÆ
PROFESSORIS, VARIARUM SOCIETATUM
LITERARIARUM SODALIS.

FUNDAMENTA
BOTANICA

PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS
ACCOMMODATA.



VIENNÆ
APUD WAPPLERUM BIBLIOPOLAM.

MDCCLXXXVI.

QK
45
S38
1786
SCNHRB

PRÆLOQUIUM.

BR*eve tempus* Rei herbariae *in hoc Regio Archigymnaſio dicatum me movit, ut in compendium ea redigerem, quae publice praelegere oportet.*

Eadem occaſione Corollam *inter &* Calycem *certiores limites ponere, inflorescentias nonnullas aliter determinare, ac genuinas fructuum differentias proponere volui.*

Praeceptor meus Natura eſt, hanc audio, quae vero ab aliis tradita ſunt, vera eſſe fateor, cum Naturae legibus ſunt conſentanea. Hac uſus libertate fructuum differentias certiores dedi, & quaedam etiam adnotanda eſſe duxi circa modum Genera *ac* Species *impoſterum ſtatuendi. Abſit tamen, ut leges Artis audeam proclamare. Doctiſſimorum Virorum judicio haec ſubmitto,* *paratiſſimus in aliam ire ſententiam, ſi in tenebris erranti manum benevole obtulerint.*

Vires Plantarum, prout Botanico cuique licet, obiter tantum attingere volui, caetera, quae mea non ſunt, aliis relinquens.

Utinam optima quaequae Inſubriae noſtrae ingenia hoc Opuſculo excitarentur, ad Species Plantarum apud nos ſponte naſcentium rite examinandas, deſcribendasque. Primarius hic eſſet laborum meorum fructus, quem ut aſſequi valeam, totis conabor viribus.

Dab. Ticini Regii Novembri 1782.

FUNDAMENTA BOTANICA.

PARS PRIMA.

PARTES PLANTARUM.

HISTORIAE NATURALIS pars illa, quae Plantarum differentias & uſum indicat, BOTANICES appellatur.

Planta eſt individuum, vivens & vegetans, corde, vaſculis renitentibus, motuque arbitrario deſtitutum; hinc vera humorum circulatio in plantis nulla.

Caeterum Plantae, ut Animalia, duplici ſexu multiplicant, creſcunt, irritantur, fructificant, ac duplici conſtant ſubſtantia, quarum una corticalis eſt, alia vero medullaris.

Subſtantia corticalis, ſterilis, involvens, conſtat *Epidermide*, *Cortice*, *Ligno*.

Epidermis eſt involucrum extimum, tenue, pellucidum, ſubiectas partes ab iniuriis defendens.

Cortex duplici conſtat ſubſtantia, vaſculoſa videlicet & celluloſa. Vaſa quaedam maiora ſunt, alia minora. Prima continent humorem aqueum, excolorem, pellucidum; ſecunda ſapidum & coloratum. Celluloſa ſubſtantia compoſita eſt ex veſiculis numeroſiſſimis, approximatis, inter sese comunicantibus, quae foliorum parenchyma, alibi vero textum cellularem efficiunt. Corticis pars extima dicitur *Alburnum*, intima vero *Liber* vocatur, qui lignum novo fibrarum ſtrato quotannis adauget.

Lignum conſtituunt 1. ſubſtantia vaſculoſa, 2. textus celluloſus, 3. tracheae reſpirantes, quas aër inhabitat, & lamina elaſtica ſpiraliter circumvoluta componit, 4. ſubſtantiae medullaris prioribus interiectae propagines.

Medullaris ſubſtantia, involuta, prolificans, attento munere, quo fungitur, una eſt maſcula, alia foeminea. *Maſcula* ultimo fine ſeminalem antherae ſubſtantiam, aut gemmulam conſtituit. *Foeminea* deponit in germine particulam, quae a priore foecundata, novam progeniem ſuo tempore profert.

Algae, Muſci (Vivipera vegetantia) propagantur gemmis, bulbillis, plumulis, frondibus, abſque pulvere antherarum & abſque ſtylo; *NEKER Acad. Theodero-Palatinae II.* p. 423.

Omnis itaque generatio in Regno Vegetabili abſolvitur gemmulis, aut antherae particulis maſculis minimis, ſtigmate foemineo exceptis & ab eius humore ad ovarium deductis. Unde patet, cur plantae nonnullae antheris deſtitutae, adducto mare foecunda ſemina dederint; cur Palmarum fructificatio promoveatur panicula maſcula foemineae admota; cur flores perfecti, ſi antheris deſtituuntur, ſteriles ſint; cur in multis floribus foecundationis tempore applicentur antherae ſtigmati, eaque abſoluta ab eo denuo recedant; cur denique ſponſalia plantarum promoveant Inſecta, venti, ros, aer calidior, floriſque ſitus atque ſtructura. Hinc recte PLINIUS *Arboribus* (inquit), *imo & omnibus, quae terra gignat, herbiſque etiam, utrumque ſexum eſſe, naturae diligentiſſimi tradunt. Eundem ſtaminum & ſtigmatum uſum agnoverunt IUNGIUS, MILLINGTON, GREWIUS, CAMERARIUS, VAILLANTIUS, BLAIRIUS, BRADLEII, LOGANUS, BURKARDUS, DU HAMEL, HILL, KOELREUTER, GLEICHEN, LEDERMULLER, ERNSTINGIUS, GLEDITSCHIUS, LESKE,* & multi alii.

Dantur tamen ſemina, in quibus vis multiplicans tranſit in prolem alterius anni, quae etiam vis inter Animalia obſervata fuit.

In qualibet Planta haec probe obſervanda ſunt:

I. PARTES.
II. GERMINATIO.
III. GEMMATIO.
IV. INFLORESCENTIA.

V. HABITUS.
VI. TEMPUS proferens gemmas, folia, florem, fructum.
VII. QUALITAS.
VIII. STATIO.
IX. PARTUS.
X. VITA.

I. PLANTARUM PARTES praecipue ſunt RADIX, TRUNCUS, FOLIUM, ADMINICULUM, FLOS, FRUCTUS.

RADIX eſt ea pars plantae, ſine qua ea vivere, elevari, ac ſuſtentari non poteſt.

Haec inconſpicua in *Pulinis*, *Confervis*, *Mucilaginibus*, *Cuſcuta*, &c., at in pleriſque ſaepius manifeſta.

Radices plantarum differunt.

Figura. *Rotunda*, *Cyclamini*, *Croco* verno, *Ranunculo* bulboſo &c.
Ovata, Orchidibus nonnullis.
Fuſiformis, *Dauco* Carotae.
T. I. f. 1 *Palmata*, Orchidibus quibuſdam.
T. I. f. 2. *Faſciculata*, *Ophri* nidô Avis.
T. I. f. 3. *Granulata*. *Solano* tuberoſo.
Directione. *Tranſverſa*, *Iridi*, *Hyoſciamo* Scopoliae.
Deſcendens, Plantis pleriſque.
Repens, novos ſurculos ſubinde proferens.
Loco, *Terreſtris*, ſeu terrae, aut ſaxis affixa.
Aquatica, aquae innatans.

Paraſitica, aliarum plantarum ſuccis victitans, *Viſco* &c.

Structura. Simplex, *Lemnae* monorrhyzae, aut *Compoſita*, in plantis aliis.

Fibroſa, radiculas tenues numeroſas emittens. T. I. f. 4.

Dentata, *Dentariae*.

Articulata, *Oxali* Acetoſellae. T. I. f. 5.

Praemorſa, *Scabioſae* Succiſae. T. II. f. 10.

Carnoſa, ſeu ſucculenta

Vita. *Annua*. A.

Biennis. B.

Perennis. P.

TRUNCUS eſt ea pars Plantae, quae florem fructumque plus minus elevatum, removet a radice. Huius ſpecies ſunt. T. I. f. 9.

1) *Frondis*, folium referens, *Filicibus*, *Fucis*.

2) *Culmus*, annuus, fiſtuloſus, aut ſpongioſus, articulatus, aut enodis ex foliis convolutis compoſitus, *Graminibus*. T. I. f. 10. a, & T. II. f. 9.

3) *Caudex* perennis ſquamoſus, aut corticatus, *Arboribus*, *Fruticibus* *Suffruticibus*.

4) *Caulis* annuus, ſuſtinens folia, flores, fructus, in *Herbis*. T. II. f. 7. a. f. 8. a.

5) *Surculus* perennis, tenuis, vix lignoſus, folioſus; *Muſcis*. T. II. f. 2. & T. VII. f 1. c.

6) *Lora* perennis, filamentoſa, aphylla; *Lichenibus filamentoſis*, *Mucori*, *Byſſo*, *Confervae*. T. II. f. 3.

T. II. f. 4. b. 7) *Stipes* plerumque annuus & aphyllus; eiuſdem cum corpore fructificante, ſubſtantiae; *Fungis.*

Trunci differunt inter ſeſe,

Numero, praeſens, aut nullus; unde *Carlina* acaulis, *Cirſium* acaule &c.

Figura, teres, ſeu rotundatus.

Semiteres, hinc planus, illinc convexus.

Anceps, in medio utrinque convexus, latere utroque attenuatus.

Angulatus, angulis tribus, quatuor, aut pluribus donatus.

Directione. *Erectus*, ſeu perpendicularis.

Declinatus, a linea perpendiculari plus minus devians.

T. II. f. 5. *Repens*, humifuſus, & ex geniculis radicatus; *Veronicae* officinali.

T. II. f. 6. *Flexuoſus*,

T. II. f. 7. *Proſtratus*, decumbens, unico loco radicatus; *Portulacae* oleraceae.

T. II. f. 8. *Volubilis*, aliis plantis circumvolutus.

Diviſione. *Simplex*, ſeu abſque ramis.

Ramoſus, *ramis ſparſis* abſque ordine naſcentibus.

Oppoſitis, ex eodem plano, oppoſitoque latere genitis.

Binatis, duobus ex eodem loco, qui diviſi efficiunt *Caulem dichotomum.*

Ternatis, ſeu tribus ex eodem loco, ex quibus denuo ſimili modo diviſis oritur *Caulis trichotomus.*

Verticillatis, ſeu pluribus ex eodem loco,

Patulis, aut divaricatis, ſeu ad angulum rectum aut quaſi rectum cum caule poſitis.

Faſtigiatis, ſurſum quaſi in faſciculum elevatis, ut in *Cupreſſu.*

Superficie. *Levis*, ſeu glaber.

Scaber, corpuſculis prominentibus exaſperatus.

Striatus, longitudinaliter lineatus: lineis impreſſis, aut prominulis.

Sulcatus, diverſus ab angulato ſpatiis inter angulos depreſſis ſeu excavatis.

Nodoſus, ad articulos incraſſatus.

Aculeatus, aculeis armatus.

Spinoſus, ſpinis inſtructus.

Tomentoſus, pilis denſis mollibus obtectus.

Hirſutus, pilis longioribus, rarioribus, & rigidioribus pubeſcens.

Villoſus, pilos proferens rariores, & longiores.

Papilloſus, corpuſculis pilo craſſioribus, pellucidis, capitulo ſaepius terminatis.

Veſtitu. *Aphyllus*, abſque foliis.

Folioſus, folia proferens.

T. V. f. 2. a.
T. V. f. 3. aa. *Vaginatus*, cinctus baſi folii, *Graminibus*, *Umbelliferis* &c.

Alatus, folii pagina una, aut utraque per caulem decurrente V. *Folium decurrens*.

Structura. *Plenus*, ſeu farctus, aut cavitate deſtitutus.

Fiſtuloſus, intus cavus.

Rigidus, minus flexilis.

Tenax, rupturae reſiſtens.

Debilis, minus profunde radicatus, hinc facile decumbens, niſi aliquo fulcro ſuſtentetur.

Filiformis, ſeu tenuis admodum.

Annulatus, ad origines foliorum annulo quaſi cinctus.

Geniculatus, aut articulatus.

Cyrrhifer, cyrrhos emittens V. *Cyrrhus*.

T. III. f. 11. aa. *Stolonifer*, propagines ſteriles, foliaceas proferens, *Fragariae* veſcae &c.

Floreſcentia. *Uniflorus*, *biflorus*, *triflorus*, *multiflorus*, ſeu flore unico, duobus, tribus, vel pluribus ornatus.

Paniculatus. V. *Panicula.*
Spicatus. V. *Spica.*
Foliatione. *Monophyllus*, *dyphillus*, ſeu folio uno biniſve donatus.
Vita. *Annuus*, *Herbis.*

Folium eſt productio ſubſtantiae corticalis, perenchymate abundans, in paginam ſaepius attenuata.

Hinc partes illae, quae florem fructumque proferunt, non ſunt folia, ſed rami foliis ſimiles, quales occurrunt in *Ruſco, Phyllantho, Plantis ſucculentis nonnullis* &c.

Folia aerem mephiticum hauriunt, purum emittunt, INGEN - HOUS *Exper. ſur les Vegetaux.* VIII. p. 42, SENEBIER *Memoires phyſico-chemiques.*

Folia quaedam ſimplicia ſunt, alia compoſita. Simplicia vocantur illa, quorum petioli aut nervi medii in unicam paginam extenduntur; compoſita vero illa dicuntur, quorum petioli adnectunt bina aut plura folia, vel in ramos dividuntur.

In omni folio conſideratur, praeter numerum etiam ſubſtantia, directio, ſuperficies, ambitus, inſertio, ſitus. Dicitnr itaque folium
Subſtantia, *Carnoſum*, aut ſiccum.
Figura. *Orbiculatum*, ſeu rotundum, aut quaſi rotundum. T. III. f. 2.
Ovatum, cuius latitudo eſt circiter dimidia pars totius longitudinis. T. III. f. 3.

El-

T. III. f. 4. *Ellipticum*, cujus latitudo eſt fere tertia pars ſuae longitudinis.

T. III. f. 5. *Lanceolatum*, cujus latitudo vix ſexta pars eſt totius longitudinis.

T. III. f. 6. *Lineare*, lineae geometricae latitudinem vix ſuperans.

Huc ſpectat folium *aceroſum*, quale occurrit in *Pino, Junipero, Taxo* &c.

T. III. f. 7. *Subulatum*, pariter lineare, ſed teretiuſculum, & in acumen ſenſim attenuatum.

T. III. f. 8. *Capillaceum*, tenuiſſimum fere adinſtar capilli, aut ſetae, & tunc etiam *ſetaceum* appellatur.

Semiteres, una parte explanatum, alia convexum.

T. III. f. 9. *Peltatum*, cujus petiolus inſeritur folii diſco, non margini.

T. III. f. 10. *Reniforme*, ambitu rotundatum, baſi exciſum, & in latitudinem magis, quam in longitudinem extenſum.

T. III. f. 11. *Cordatum*, cordis inverſi formam referens.

T. III. f. 12. *Emarginatum*, apice excavatum.

Lunatum, apice convexum, baſi concavum, breve; lo-

lobis lateralibus acuminatis.

Carinatum, naviculae in modum concavum. T. III. f. 13.

Sagittatum, oblongum; lobis baſeos in acumen elongatis. T. III. f. 13.

Huc pertinet etiam *Folium haſtatum*. T. IV. f. 14.

Acinaciforme. T. III. f. 15.

Deltoides. T. III. f. 16.

Triquetrum, tribus angulis inſtructum

Teres, ſeu rotundatum.

Tubuloſum, intus cavum.

Inaequilaterum, uno paginae latere longiore, aut latiore.

Directione. *Patens*, aut patulum, ſeu angulum rectum cum caule efficiens,

Adpreſſum, cauli fere paralellum.

Inflexum, apice ſurſum, dein verſus caulem flexo.

Recurvum, apice deorſum, dein verſus caulem reflexo.

Dependens, ſeu pendulum. T. V. f. 4.

Reſupinatum, ſeu inverſum.

Superficie. *Nitens*, aut lucidum.

Laeve, vel glabrum.

Planum

Venoſum, nervis inſignibus donatum.

Nervoſum, nervis longitudinaliter lineatum.

Rugoſum.

Criſpatum.

T. V. f. 11. *Plicatum.*

Bullatum, ſubſtantia folii quaſi in veſiculas elevata.

Maculatum.

Papilloſum.

T. VI. f. 1. *Villoſum.*

Sericeum, ſeu nitentibus villis pubeſcens.

Tomentoſum.

Lanatum.

Hiſpidum.

Scabrum.

T. IV. fig. 12. *Spinoſum.*

Aculeatum.

Ambitu - *Integrum*,

T. IV. fig. 9. 9. *Ciliatum*, ſeu ex margine pilos longiores emittens.

A. IV. fig. 3. *Dentatum*, ſeu margine in ſegmenta parva, acuta exciſo.

T. IV. fig. 7. *Crenatum*, ſeu margine in ſegmenta parva rotunda exſecto.

Angulatum, margine in ſegmenta magna, acuta diviſo.

T. IV. fig. 11. *Sinuatum*, ſegmentis limbo rotundatis.

T. IV. fig. 5. T. V. fig. 16. *Lobatum*, ſeu diviſum in ſegmenta profundiora & latiora, quorum numerus conſtituit

fo.

folium *bilobum*, *trilobum*, *quadrilobum*, *quinquelobum*.

Digitatum, ſegmentis anguſtioribus, digitos aemulantibus ſere ad baſim uſque productis.

Inciſum in ſegmenta anguſta inaequalia.

Laciniatum, ſegmentis linearibus inaequalibus. T.IV.fig.9.

Runcinatum, ſegmentis inaequalibus, curvis. T.IV.fig.10.

Pinnatifidum, ſegmentis oppoſitis, pinnas referentibus. T.IV.fig.10.

Spinoſum, ſpinis marginalibus armatum. T.IV.fig.11.

Apice, *Acutum*, ſeu acuminatum. T.IV.fig.2.

Cuſpidatum, nervo in acumen rigidum exeunte. T.IV.fig.1. 15.

Obtuſum, *Rhus Cotinus*. T.IV.fig.7.

Truncatum. T.IV.fig.13.

Cirrhoſum, cirrho terminatum.

Inſertione, *Seſſile*, abſque petiolo. T. II. fig. 5.

Petiolatum, petiolo adhaerens. T.III.fig.9.2

Amplexicaule. T.IV.fig.15.

Perfoliatum. T.IV.fig. 8.

Vaginans, in *Plantis umbelliferis* aliiſque. T.V.fig.2.

Decurrens, vel alatum. T.V.fig.3.

Radicale, prodiens ex radice.

Caulinum . . . . . . caule.

Rameum . . . . . . ramo.

T. II. fig. 4. Situ, *Alternum.*

T. V. fig. 12. *Oppoſitum.*

T. V. fig. 5. *Verticillatum*, ſeu pluribus foliis ex eodem plano horizontali prodeuntibus.

T. V. fig. 6. *Imbricatum.*

Nullum, & tunc dicitur *Caulis aphyllus*, ſeu foliis deſtitutus.

Numero, *Solitarium*; ſeu unicum ex eodem loco.

T. V. fig. 8. *Binatum*, duo ſimul.

T. V. fig. 9. *Ternum*, foliis tribus ex eodem plano, ut in *Lyſimachia*, *Fuchſia triphylla* &c.

T. V. fig. 7. *Faſciculatum*, pluribus foliis ex eodem puncto.

Vocabula foliorum ambigua, quae certam figuram non indicant, denotantur addita particula *ſub*, quae idem ſignificat ac *quaſi*; ita folium ſubrotundum, ſubovatum, ſubcordatum &c. idem ſignificat, ac quaſi rotundum, quaſi ovatum, & quaſi cordatum.

Folium, quod de duabus figuris aliquid participat, nomine ex iis em compoſito denotatur; ſic folium, ſi lanceolato tenuius, & lineari craſſius fuerit, tunc dicitur lanceolato-lineare, & ſic porro. Progreſſio hæc autem non fit a minore ad majorem latitudinem, nec viceverſa a majore ad minorem; hinc non bene dicitur folium oblongo-ovatum, lineari-lanceolatum, ſed ovato-oblongum, & lanceolato-lineare, & ſic de caeteris.

Etiam ill. a *LINNE'* tribuit folia ovato-lanceolata *Salici fragili, Crotoni balſamiferae, Tulipae geſner.* &c. ovato - oblonga *Lauro Cinamomo, Quercui Illici, Moro tataricae* &c. etſi alibi contrario modo ponat.

Folium compoſitum juxta numerum foliorum, quae eidem petiolo adnectuntur, dividitur in

Binatum, adnectens folia bina T.V.fig.8.
Ternatum terna T.V.fig.9.
Quinatum quina T.V.fig.10.

Si folii compoſiti petiolus comunis adnectit folia ſimplicia, dicitur *Folium pinnatum* T.VI.fig.5. ſ *compoſitum*; ſi petiolus comunis dividitur in ramos ſimplices, tunc eſt *Folium decompoſitum* T.V.fig.6.; ſi vero petiolus ſemel ramificatus iterum in alios ramos ſubdividitur, tunc *Folium ſupradecompoſitum* appellatur. T.VI.fig.2, 1.4.

Pinnae foliorum compoſitorum ſunt aequales aut inaequales, oppoſitae vel alternae, aut alternae ſimul & oppoſitae.

Folii compoſiti ſpecies alia eſt *Folium peltatum* T.VI.fig.7, ſeu conſtans petiolo ramoſo, cujus foliola lateralia inſident petiolis ramoſis, intermedium vero petiolo ſimplici gaudet: Hinc folium pedatum medium locum tenet inter ſimplex & compoſitum.

ADMINICULUM eſt pars plantae aliarum tutelae, aut fulcro inſerviens. Huc pertinet *VAGINA, STIPULA, PETIOLUS, INVOLUCRUM, SPATHA, BRACTEA, SETA, PEDUNCULUS, ARMA, PUBES.*

T,VI.fig.1. *VAGINA.* Baſis petioli aut folii, caulem ambiens, non confundenda cum baſi folii amplexicaulis.

T.VI.fig.9.2 *STIPULA.* Foliolum unum aut duplex, petiolo, vel hujus baſi adnatum.

Integra, dentata, laciniata.
Vaginans, dilatata, patula, reflexa,
Ciliata, hirta, glabra,
Longa, brevis.
Setacea, lanceolata, enſiformis, ſemiſagittata, lunata, ſubrotunda &c.
Decidua, perſiſtens,
T.VI.fig.1.4 Deficiens, & tunc dicitur folium exſtipulatum.

T.III.fig.9.2 *PETIOLUS.* Stipes folii.

Radicalis, caulinus, rameus, axillaris,
Teres, ſemicilindricus, membranaceus, decurrens,
T.VII.fig. 8. 6. Glaber, pubeſcens, armatus, alatus.

T.X.fig.13. a. b. *INVOLUCRUM.* Folium unum, at ſaepius plura ex eo loco nata, ex quo prodeunt rami, aut pedunculi.

Monophyllum, diphyllum,
Primarium, ſecundarium,
Integrum, pinnatum, pinnatifidum, laciniatum,
Deciduum, perſiſtens.

SPATHA. Membrana cujus baſis amplectitur pedunculum unum aut plures. T. XI. fig. 10. a
Uniflora, biflora, triflora, multiflora,
Monophylla, polyphylla,
Plana, concava, cucullata, convoluta, longa, brevis,
Erecta, declinata.

BRACTEA. Foliolum aut ſquama flori ſubjacens. T. VI. fig. 21. aa
Caduca, perſiſtens,
Excolor, colorata,
Inermis, armata,
Diverſimode figurata.

SETA. Filamentum ſuſtinens muſcorum capſulas. T. VII. fig. 1. aa
Terminalis, lateralis,
Solitaria, aggregata,
Brevis, longa.

PEDUNCULUS. Petiolus floris. T. VII. fig. 4. a
Nullus, & tunc dicitur *Flos ſeſſilis.*
Radicalis, caulinus, rameus, alaris, terminalis,
Teres, angulatus, craſſus, tenuis,
Petiolo longior, brevior, aequalis,
Simplex, ramoſus,
Foliaceus, articulatus,
Nudus, bracteatus,
Unicus, duplex, aggregatus;
Erectus, patulus, reflexus.

ARMA. Organa rigida ad tutelam data: nempe:

T.VII.fig. 3. a *Spinae.*
Subſtantiae ligneae propagines rigidae, acutae.

T.VII.fig. 4. aa *Aculei.* Subſtantiae corticales, non autem ligneae, propagines rigidae, acutae.

Arma haec ſunt ſimplicia, aut compoſita,

Recta, incurva, recurva, patula, oppoſita, alterna,

Nuda, foliacea,

Terminalia, lateralia.

PUBES. Organa mollia ad tutelam, aut liquoris alicuius ſeparationem & excretionem deſtinata. Huc ſpectant.

Scabrities. Tubercula, aut verrucae exiguae, crebrae.

Pili. Setulae molles, ſimplices aut ramoſae.

Lana. Setulae longiores, molles, aggregatae, intricatae.

Tomentum. Setulae breviores, molles, congeſtae,

Papillae. Glandulae pellucidae, capitatae, cylindricae, rotundatae, ovatae, lenticulares, conicae, coloratae, excolores; inſidentes folio, ſtipulae, petiolo, bracteae, calyci, corollae, ſtaminibus, ſtylo, ſtigmati, germini.

FLOS. Thalamus nuptialis vegetabilium, in omni Individuo diligentiſſime examinandus.

Floris partes quaedam eſſentiales ſunt, aliae acceſſoriae.

Eſſentiam floris conſtituunt Anthera, & Germen.

ANTHERA conſtat ſubſtantia ſeminali maſcula, tenuiſſima, tunicis comunibus propriisque involuta.

ANTHERA. Unilocularis, multilocularis. T.VII.fig. 4. a.
Integra, bifida,
Terminalis, lateralis,
Seſſilis, pedunculata,
Erecta, pendula,
Dehiſcens apice, latere, baſi.

GERMEN. Rudimentum fovens novae plantae, idque unicum aut plura. T.VII.fig. 4. b.
Superum, ſeu corollam e baſi proferens. T. VII. fig. 4. b.
Inferum, ſeu corollam apice ſuſtinens, T. VII. fig. 10. c.
Seſſile, aut diſco elevatum.

Omne germen inſtructum eſt Stigmate. T. VII. fig. 5. 6.

Stigma eſt eſſentialis illa pars germinis, quae pollinem maſculum excipit, attenuat, & germini communicat, ut vitam inchoet.

Stigma eſt ſeſſile, aut ſtylo elevatum,

Terminale, aut laterale,
Figura & ſuperficie diverſum.

Flos continens antheram & germen, dicitur perfectus ſeu *Hermaphroditus*.

T.VII. f. 5. Si ſola anthera, non germen in eo reperitur, tunc flos hic appellatur *Maſculus* ſ. imperfectus.

T. I. f. 1 Si vero germen duntaxat, non autem antheram fovet, tunc *Femineus* pariterque imperfectus appellatur.

Floris partes acceſſoriae, quae non adſunt in omni Planta, & quibus natura eſſentiales ornavit, munivit, ſunt *INVOLUCRUM*, *NECTARIUM*, *FILAMENTUM*, *STYLUS*, *DISCUS*.

T.VII. fig.4. d. T.VII.fig.6. ab. T.VII.fig. 7. abc *INVOLUCRUM* floris, ſi unicum, tunc dicitur *CALYX*; ſi duplex, tunc primum eſt Calyx, aliud *COROLLA*; ſi triplex, tunc primum eſt *CALYX PRIMUS*, aliud *CALYX SECUNDUS*, tertium *COROLLA*.

Ita primo intuitu quiſque dignoſcet, quid ſit Calyx, & quid Corolla, quin opus ſit quaerere an ille ex cortice, haec vero ex libro oriatur; nec dubius impoſterum haerebit Botanicus an *Petiveria* corollam gerat, vel calycem coloratum; an *Polygoni* involucrum florale Calyx ſit vel Corolla; & an *Garidella* di-

dicenda ſit corollata, aut calyce inſtructa.

Hinc duplex Corolla mihi paradoxa: quae vel erit multiplicata, vel in duas pluresve ſeries ſegmentorum diviſa. Cave autem, ne Corollam habeas pro Nectario, aut viciſſim.

Flos juxta numerum ſolitarius eſt, ſi pedunculus unicus unicum ſuſtinet florem; Compoſitus autem tunc vocatur, quando unicus Calyx plures continet flores.

Flores compoſiti figura aequales ſunt, aut inaequales.

Qui eandem figuram habent, vocantur. T.VII.fig. 8. a

Floſculoſi ſ. monopetali, ex anguſta baſi in formam infundibuli, aut campanae expanſi.

Semifloſculoſi ſ. monopetali, ex anguſta & tubuloſa baſi in ligulam planam extenſi. T.VII.fig. 9. a Qui vero continent flores diverſae figurae appellantur.

Radiati, quorum aliqui floſculoſi ſunt, alii vero ſemifloſculoſi. T.VII.fig.10.

Flos juxta *Directionem*: pendulus, aut erectus.

Petala; monopelatus, dipetalus, tripetalus &c.

Stamina; monandrus, diandrus, triandrus &c.

Stylos; monogynus, digynus, trigynus &c.

Diſpoſitionem; ſpicatus, capitatus, rameus, lateralis, terminalis.

Situm; ſparſus, ſecundus.

CALYX. Seu involucrum, aut fulcrum floris unum, vel duplex, iuxta: T. VII. fig. 4. d.

Figuram, monophyllus, diphyllus, tetraphyllus &c. T. VII. fig. 4 d.

Numerum, unus, aut duplex. T. VII. fig. 6. 2.

Structuram, regularis, cujus ſegmenta, aut folia aequalia ſunt; vel irregularis, cujus ſegmenta, aut folia ſunt inaequalia.

Superficiem, glaber, pubeſcens, inelegans, coloratus, ſeu corollaceus.

Uſum, communis pluribus floribus, aut unico proprius.

Situm, ſuperus, ſeu germini inſidens; inferus, ſeu germini ſubjacens.

Durationem, deciduus, aut perſiſtens.

CALYCIS ſpecies ſunt.

Glumae Graminum. T. VII. fig. 11 a

Muticæ, ariſtatae.

Solitariae, binae,

Aequales, inaequales.

Squamae Amenti.

Strobili, aut Coni.

Calyptræ Muſcorum. T.VII.fig. 1. b

Alium uſum Calyptræ tribuunt KOLREUTER & SCHMIDEL. Ego LINNEUM ſequor quouſque certiora innotuerint.

Scutellae Verrucariae, & *Lichenum quorundam*. T.VII.fig.12 aa

Scyphi. Lichenum coralloideorum. T. VIII. fig. 1.

Volvae. Agaricorum quorundam baſim ambientes. T.II.fig. 4. a

COROLLA. Involucrum floris intimum, ſaepius ſpecioſum, monophyllum, aut polyphyllum; unde duplex Corolla, nempe monopetala, vel polypetala.

COROLLA Monopetala denuo duplex eſt, nempe

Regularis; limbo in ſegmenta aequalia diviſo. Hæc autem iterum.

Hippocrateriformis; tubo elongato a), limbo patente b). T.VIII. fig.2

Infundibuliformis; tubo elongato a) limbo adſcendente b). T. VIII. fig. 3.

Rotata; tubo breviſſimo a), limbo patente b). T. VIII. fig. 4.

Campanulata; tubo brevi, limbo campanae formam referente. T. VIII. fig. 5.

Irregularis; limbo in ſegmenta inaequalia diviſo, quae denuo T. VIII. fig. 6.

Subaequalis, ſegmento uno aliove alterius figurae aut magnitudinis, qualis occurrit in *Veronica* &c. T.VII.fig.7.

T. VIII. fig. 6. *Labiata*; ſegmentis inaequalibus binis, quorum ſuperius a) dicitur *Galea* aliud vero b) *Barba*, ſeu *Labium inferius*,

T.VIII.fig.7 *Perſonata*; ſegmentis inaequalibus binis, quorum ſuperius a) galeae effigiem minime repraeſentat.

COROLLA polypetala eſt.

T.VII.fig. 6, 6. *Regularis*, ſeu petalis aequalibus conſtans.

Iregularis, cujus petala inaequalia ſunt. Haec denuo triplex, eſt nimirum.

T. VIII. fig. 9. *Papilionacea*, cujus petalum ſupremum eſt *Vexillum* a), lateralia *Alae* b), infimum *Carina* c.) fovens vaginam ſtaminiferam d), quae includit germen e), quaeque nunc univalvis eſt, nunc vero bivalvis.

T. VIII. fig. 7. *Anomala*, petalis inaequalibus innominatis; in *Aconito* tamen petalum ſuperius dicitur galea; at in *Delphinio*, *Anthirrinis* nonnullis, aliisque, pars poſtica tubuloſa vocatur *Calcar*, Nectarium vero LINNAEO.

T. VIII. fig. 8. a Partes petalorum quorundam ſunt *Limbus*, & *Unguis*. *Limbus* eſt pars ſuperior, & la-

latior; *Unguis* vero eſt pars inferior, tenuior, quandoque ſtaminifera. T. VIII. fig. 8. b

COROLLA nulla in nonnullis floribus, & tunc *Flos* dicitur apetalus.

NECTARIUM. Pars florum quorundam a calyce & corolla diſtincta, non antherifera, filamentoſa, ſquamoſa, foliacea. Hinc tubuloſa illa pars floris in *Orchidibus*, *Delphinio* &c. quae olim Calcar erat, non eſt Nectarium, ſed productio alterius petali. Neque Nectariis adnumerandae foveae petalorum *Uvulariae*, nec glandulae florum quorundam, nec tubercula *Erythronii*; nec petala interiora *Galanthi nivalis*, ipſo etiam annuente Cl. IACQUINIO *Auſtr.* IV. p. 7.

FILAMENTUM. Pedunculus antherae. Filamenta ſunt. T. VII fig. 4. c. e. e. e. e.

Æqualia, inaequalia.
Simplicia, compoſita,
Foliacea, filamentoſa,
Diſtincta, connata,
Brevia, longa,
Inſerta calyci, corollae, receptaculo, diſco, vaginæ, germini, ſtylo.

STYLUS. Pedunculus ſtigmatis; Piſtillum TOURNEFORTII, T. VII. fig. 4.

Longus, brevis,
Tenuis, craſſus,
Unus, plures,
Simplex, diviſus,
Rectus, curvus,
Inſertus receptaculo, aut germini.

Pars ſtyli eſt *Stigma*, quod non ſemper a ſtylo elevatur. *Stigma* ſimplex, compoſitum, diverſimode figuratum.

DISCUS. Corpus elevans germen.

Diſcus eſt brevis, longus, variae figurae, ſemper obſervandus; judicioſe enim comparatus adfinitates plantarum plurimas detegit, eo neglecto nunquam extricandas.

T.VIII.fig.8 FRUCTUS. Vegetationis omnis praecipuum & ultimum opus, cujus eſſentia conſiſtit in ſemine, quod modo nudum eſt, modo vero involutum.

T. VIII. fig. 11. *SEMEN NUDUM* duplex eſt, nempe,
Muticum, nullo alio corpore terminatum, in *Graminibus*, *Plantis Compoſitis nonnullis* &c. aut
T. VIII. fig. 12. *Coronatum* calyce in *Umbelliferis* &c.
Corolla in *Knautia* &c.
Pappo ſeſſili ſimplici, in *Hieracio*, *Prenanthe* &c.
Compoſito, in *Scorzonera*, *cirſio* &c.
T. IX. fig. 1, Stipitato: ſimplici in *Lactuca*, *Condrilla* &c.
T, VIII. fig. 13. Compoſito in *Tragopogone*, *Hyppochaeri* &c.

SEMEN TECTUM involucro unico, duplici, triplici: unde fructus diverſi probe diſtinguendi, nempe. CAPSULA, LEGUMEN, ARILLUS, THECA, GRANATUM, NUX, BACCA, CELLA, CYSTA, POMUM, DRUPA.

CAPSULA. Involucrum unicum, dehiſcens apice, latere, baſi, fovens ſemina non ſuturis, ſed alio loco affixa; hinc fructus *Chelidonii* non erit ſiliqua. T.IX.fig.2.3

Capſula tranſverſim dehiſcens dicitur circumſciſſa, qualis occurrit in *Hyoſciamo*, *Plantagine* &c. T.I X.fig. 3.

Capſulae partes ſunt *Valvae*, *Septum*, *Locula*, *Receptaculum*. T.IX. fig. 2. 1. b.

Valvae ſunt ſegmenta illa, in quae Capſula dividitur, dum ſemina matura dimittit. Iuxta horum numerum dicitur *Capſula bivalvis*, *trivalvis*, *quadrivalvis*, *quinquevalvis*, *multivalvis*.

Septum valvis paralellum Tab. IX. f. 2. *), aut contrarium **).

Locula ſunt camerae, in quas capſula interne a ſepto dividitur.

Iuxta harum numerum dicitur *bilocularis*, *trilocularis*, *quadrilocularis*, *quinquelocularis* &c.

Receptaculum eſt ea pars Capſulae, cui ſemina affixa ſunt, quod denuo quadruplex nempe.

Columna, ſeu corpus peculiare e centro capſulae prodiens.

Septum, ſeu membrana illa, qua capſula in duo, aut plura locula dividitur.

Filamentum, cui etiam valvae adhaerent, quale occurrit in *Chelidonio majore*.

Valvae, quibus interne adligata ſunt ſemina *Violae*, *Ciſti* &c.

Capſula unicum ſemen fovens dicitur monoſperma; ſi vero plura ſemina continet, tunc diſperma, polyſperma vocatur.

T. IX. fig. 4 LEGUMEN. Involucrum unicum, dehiſcens, fovens ſemina non receptaculo diſtincto, nec valvis, ſed ſuturae adligata.

Fere invitus retineo nomen *Leguminis*, quia receptum ab omnibus Botanicis, cum ſtructura hujuſce fructus eadem ſit, quae Capſulae.

T. IX. fig. 5. T. X. fig. 4. ARILLUS (quod *Pericarpium* dixi *INTRODUCT. HIST. NATUR.*). Involucrum unicum, non dehiſcens, idque

Simplex Capſulare, *Pſeudocompoſitis*, aliiſque non paucis.

Carnoſum, *Ficui*, apice apertum,

Subcarnoſum, *Roſae* &c.

Oſſeum, *Cerinthes* &c.

Ligneum, *Palmae Coccos*, vel

Compoſitum, *Haedyſaris* pleriſque.

T. IX. fig. 6. THECA. Involucrum duplex: externum dehiſcens, internum ſemen involvens.

T. IX. fig. 7. *Capſularis*, ſemine tecto lana, *Goſſypio*.

Pulpa, *Adanſoniæ* &c.

Pellicula pulpoſa, ſeu calyptra; *Evonymo*, &c.

Cortice fragili, *Lecythi* &c.
Leguminoſa, *Copaiferae*, *Mimoſae fagifoliae* &c.

GRANATUM. Involucrum duplex: externum & commune ſuberoſum, quandoque dehiſcens, aut coriaceum: internum & partiale ſucculentum obtegens ſemen. T.IX.fig.9.

NUX. Involucrum duplex: neutrum dehiſcens: externum demum ſiccum: internum oſſeum, *Amygdalus*, *Iuglans*. T.IX.fig.9. 10.

SILIQUA. Involucrum duplex: neutrum dehiſcens: externum coriaceum: internum carnoſum, aut pulpoſum. *Leguminoſae quaedam.* T.IX.fig.11.

In ſola *Tamarindo* eſt cortex duplex, pulpam includens.

BACCA. Involucrum duplex: neutrum dehiſcens: externum membranaceum, aut ſubligneum: internum ſucculentum, aut carnoſum. *Cucurbitaceae*, & *Bacciferae*. T.IX.fig.1.

CELLA. Involucrum triplex, intimum dehiſcens: externum ligneum: internum pulpoſum: intimum dehiſcens, membranaceum, *Pontoppidana*.

CYSTA. Involucrum triplex; externum membranaceum: internum ſucculentum, aut carnoſum; intimum membranaceum, non dehiſcens, *Paſſiflora*, *Liguſtrum* &c.

POMUM, Involucrum triplex; externum membranaceum; internum carnoſum; intimum coriaceum, non dehiſcens: T.X.fig.2.

T. X. fig. 4. DRUPA. Involucrum triplex: externum membranaceum: internum ſucculentum in pleriſque: intimum oſſeum, non dehiſcens, *Prunus* &c.

Hinc *Drupa ſicca LINNAEI* non erit Drupa.

Fructus ſpecies juxta *LINNAEUM* ſunt *Capſula*, *Siliqua*, *Legumen*, *Conceptaculum*, *Drupa*, *Pomum*, *Bacca*; *ſed* eadem ratio, quae *Pomum* diſtinguit a *Drupa*, diſtinguit etiam *Baccam* a *Scrino*, & *Pomum* a *Cyſta*. Si *Legumen* ideo tantum fructum conſtituit diverſum a *Siliqua*, quia ſemina gerit unicae ſuturae alligata, Siliquae vero utrique ſuturae affixa; quanto magis diverſa eſſe debebit *Theca* a *Capſula*, & *Granatum* a *Bacca*? Invitus introduxi nova nomina in Scientia aliunde obruta nominibus, neque ad haec me novitatis ardor impulit, ſed ſola natura, quae jubet, ut ea, quae ſtructura inter ſeſe plurimum differunt, diverſis quoque nominibus denotentur. Spero tamen poſſe etiam pauca haec vocabula memoria qualibet retineri, ac ideo ſaltem tolerari, quia Tyronibus occaſionem praebent, rerum ſtructuram, a qua earum diſcrimina peti debent, diligentius examinandi.

II. GERMINATIO. Eſt evolutio novae plantae ex ſemine aut gemma, quae duplex, nempe:

1) *Occulta*, abſque evidenti fabrica ſeminali, in *Muſcoidaeis*, *Fungoidaeis*, *Filicibus*.

2) *Manifeſta* in plantis aliis conſpicuo ſemine inſtructis.

Semen conſtat.
Tunicis externis.
Cotyledone una, vel binis.
Corculo.
Hilo.

Tunicae ſunt involucra cotyledones obducentia, numero & ſtructura diverſa.

Cotyledones ſunt foliola ſeminalia corculum involventia, quae abſorpto humore eum lactant, donec propriae vitae viribus ali queat. T.x.fig.5.aa.

Cotyledones nullae, *Filicibus*, *Fungis*.
Solitariae, *Palmis*, *Graminibus*, *Orchidaeis* &c.
Binae, integrae, aut lobatae, caeteris plantis.

Horum praeſentiam, aut defectum, nec non numerum, & figuram in qualibet planta ſedulo obſervet Botanicus, quod facile obtineri poteſt quin ſemina terrae mandentur, ſi linteum ſuper dolium tranſverſim diſſectum extenditur, clavis undique affigitur, dein ductis funiculis in plures areolas diſtinctis numeris ſignandas dividitur. Hoc facto areae cuilibet imponitur ſemen plantae alicujus, omniaque quotidie irrorantur aqua. Sic quovis anni tempore germinatio obſervari, & quod occurrit, quotidie annotari poterit.

T.X.fig.5.b. *Corculum* eſt novae plantae primordium cotyledonibus affixum, conſtans *Plumula* cauleſcente, & *Roſtello* radicante.

T.X.fig.5.d. Ita in ſemine *Plumula* alitur cotyledonibus, donec actis radicibus excreſcat in plantam, ut in ovo punctum ſaliens alitur placenta, donec inde evolvatur perfectum animal.

T.X.fig.5.e. *Hilum* ſeu cicatrix externa ſeminis ab ejusdem adhaeſione in fructu relicta, quo cotyledones hauriunt humidum nutriens.

Princeps plantarum nutrimentum eſt aqua aere fixo praegnans, non tinctura humi, quae plantis jam genitis ſerior acceſſit, nec omnibus nunc etiam neceſſaria eſt. Aquoſum hoc ex atmoſphaera ac tellure hauriunt folia & radiculae, aut alia organa iis analoga, hauſtumque modificant, donec ſtupenda metamorphoſi mutetur in Sales, Olea, Terram. *In terra, quae ponderat 20 libras, creſcere poſſunt 4000 diverſae plantae: in quibus omnibus & diverſum oleum, & diverſum ſal reperitur. Ponamus has Plantas analyſi chemica in ſuas partes reſolvi, obtinentur ſic ſine dubio oleum & ſal a qualibet fere Planta, ad unciam fere unam, plus minus.*

minus. Si à terra hocce oleum & ſal deducendum eſſet, certe in illa terra adeſſent 4000. *unciae, h. e.* 250. *librae olei & ſalis; cum tamen in eadem terra ne granum quidem ſalis & olei adſit,* *GRILLENBORG Agricult. fundam. Chym. Cap.* 6. Hac de cauſa mutari aquam intra corpora organica in ſales, olea, terras, docent *LEMERII Hiſtoir. de l' Acad. des Scien.* 1715. *p.* 139, *WALLERIUS Diſſert. de Veget. Plant. princip.* 1751., *ELLER Hiſt. de l' Acad. de Berlin.* 1746. 1748. *D. ISIONVAL* apud *ROZIER* 1781. p. 402., & alii.

III. GEMMATIO. Quod nunc germen dicitur, id gemma; quod vero nobis eſt gemma; ea germen a PLINIO vocatur.

Planta prolificat duplici gemma, quarum una contigua eſt, alia vero decidua. *Gemma contigua* eſt ſubſtantiae medullaris apex libere extenſus in florem & fructum. *Gemma* vero *decidua* eſt ſemen continens novi individui compendium cotyledonibus atque involucris corticatum.

Nonnullas gemmas protegit involucrum carnoſum, aut foliaceum. Involucrum carnoſum (quod a LINNAEO *Hybernaculum* appellatur) eſt bulbus modo radicalis, modo vero caulinus.

Hybernaculum radicale quadruplex, nempe:

Solidum, *Gladiolo*, *Croco* &c.
Articulatum, *Adoxæ*, *Lathreae*.
Tunicatum, *Cepae*.
Squamoſum, *Lilio*.

Caulinum axillare, ſpeciebus nonnullis *Dentariae*, *Lilii*, *Saxifragae*.

Terminale, aliis quibusdam floribus interpoſitum.

Hybernaculum foliaceum, ſeu ſquamoſum denuo duplex occurrit, nempe

Radicale, *Herbis*.
Caulinum, Sufruticibus, Fruticibus, & Arboribus.

Situs foliorum intra gemmam multiplex V. *LINNAEI Phil. Bot.* 163. *VI. Tab.* 10.

IV. INFLORESCENTIA. Eſt modus, quo Planta flores ſuos profert.

INFLORESCENTIA eſt 1.) *SOLITARIA*; conſtans pedunculo unico ſimplici, bifido, trifido &c.; hinc *Pedunculus uniflorus*, *biflorus*, *triflorus* &c.

2.) *AGGREGATA*, ex pluribus floribus in *Faſciculum*, *Verticillum*, *Strobilum*, *Amentum*, *Spicam*, *Racemum*, *Cymam*, *Corymbum*, *Umbellam*.

Faſciculus, ſeu flores ex eodem loco pauci, pedunculis ſimplicibus inſidentes.

Capitulum, ſeu flores in ſummo caule, aut ramis, ex eodem plano multi, ſeſſiles aut pedunculis ſimplicibus impoſiti, in *Allio*, *Globularia*, *Trifolio* &c. T.X.fig.6.

Verticillus, ſeu flores ex alis foliorum caulem annulli ad inſtar ambientes; hinc plantae hac infloreſcentia donatae, *Verticillatae* dicuntur. T.X.fig.7.

Strobilus, ſeu flores ſquama rigida, coriacea aut lignea diſtincti, apetali; Squamis axi medio communi affixis, in *Pino*, *Cupreſſu* &c. T.X.fig.8.

Amentum, ſeu flores ſquama molliori, aut foliacea diſtincti, apetali; ſquamis axi medio communi adhaerentibus, in *Salice*, *Corylo*, *Populo* &c. T.X.fig.9.

Spica, ſeu flores ſeſſiles, aut pedunculati: pedunculis indiviſis & pedunculo communi adnatis. T.X.fig.10.

Spica graminea ſuſtinet ſpiculas, aliae vero gerunt flores ſolitarios, minime glumoſos.

Spica ſimplex in *Graminibus*, *Veronicis*, *Berberi* &c. compoſita in *Zea Mays* &c.

Racemus, differt a *Spica* pedunculo communi in plures ramos diviſo, qui in uno plano nunquam conveniunt. Infloreſcen- T.X.fig.11.

tia haec adeſt in *Viti*, *Sambuco racemoſa*, *Cannabi*, *Lupulo* &c.

T.X.fig.12. *Corymbus*, differt a *Racemo* pedunculis, aut ramulis ſeorſim equidem genitis, at in unum planum horizontale ſuperne convenientibus.

Hinc *Cyma* non differt a *Corymbo*.

T.I. fig. 10. *Panicula*, ſeu pedunculi florales elongati, ſparſi, aut verticillati, non ſimplices ſed ramoſi, floribus in unum planum minime diſpoſitis.

Racemoſae Graminum infloreſcentiae hoc nomen datum fuit.

T.X.fig.13. *Umbella*, ſeu flores ut in *Corymbo* ramoſi: ramis ultimis in eodem plano horizontali convenientibus, ramulisque etiam ex eodem centro pariter prodeuntibus.

Umbellae ſimplices Botanicorum ſunt *Capitula*.

Ideae rerum ſint adaequatae, non ambiguae & incertae.

V. HABITUS. Eſt determinata, & cuique individuo ſua facies, ſeu peculiaris diſpoſitio ramorum, foliorumque, quae genera quaedam in unam claſſem, ac ſpecies nonnullas in unum genus conjungit.

Talis eſt *Habitus Geodes*, Pulinae, Verrucariae, Leprae.
Corolloidaeus, Lichenibus coraloidaeis, & Fungis.
Trichodes, Byſſo, & Confervae.
Surculoſus, Muſcis.
Foliaceus, Algis, & Lichenibus non paucis.
Comoſus; Palmis.
Frondoſus, Filicibus.
Faſtuoſus, Liliis, & Scytamineis.
Triſtis, Tamo, Rajanae, & adfinibus.
Rigidus, Umbelliferis.
Carnoſus, Plantis ſucculentis.
Pyramidatus, Coniferis.
Diffuſus, Amentaceis, & Calycifloris arboreis.
Squallidus, Solanaceis.

Oraculum Naturae ex habitu aequivocum, judicioſe audiendum, ne Botanicus deperdito fructificationis filo ariadnaeo, in labyrinthum eat inextricabilem.

VI. TEMPUS ferens Folia, Florem, Fructum.

Obſervationibus hiſce per decennium inſtitutis innoteſcet.

1.) Quaenam plantae in quolibet climate coli quaeant.
2.) Quot dies utero gerat quaevis planta.
3.) Quaenam ſit aeſtatis longitudo in qualibet Provincia.

4.) Quomodo res agraria promovenda.

5.) Novae quoque rerum adfinitates inde innoteſcent.

Sapiens in contemplatione Naturae non properat, nil praetervidet, omnia perquirit, & comparat, ne ſimilia diſſimilibus uniantur.

VII. QUALITAS, eaque manifeſta, quam oſtendit

Sapor	Viſcidus.	nullus.
	Aquoſus.	
	Dulcis.	gratus.
	Acidus.	
	Salſus.	ingratus.
	Acris.	
	Amarus.	
	Nauſeoſus.	

Odor Nullus.
Gratus.
Ingratus.
Fatuus.

Color. Albus.
Niger.
Flavus.
Viridis,
Ruber.
Caeruleus.
Violaceus.
Ex his mixtus.

Tactus mollis.
Viſcidus.
Ingratus.

Menſura, longitudo.

Latitudo.
Craſſities.
Vigilia nulla.
Brevis.
Diurna.
Nocturna.
Mixta.
Somus vigiliae contrarius.
in quo flores ſtato tempore clauduntur.
Converſio ad ſolem, aut mundi plagam.
OCCULTA, *Nutriens*; Cibus.
Alterans.
Medicamentum aut Venenum (V. *Vires Plantarum.*)
Tinctoria.

VIII. STATIO, ſeu Patria.
Natalia loca plantarum ſunt.
Communia. Europa, Aſia, Africa, America, nec non Regna, Inſulae, Provinciae, Comitatus.
Singularia, nempe.
1.) *Mare*. Congregatio aquarum ex majoribus fluviis.
2.) *Lacus*. Collectio aquarum ex fluviis minoribus, rivis, fontibus.
3.) *Flumen*. Aqua mobilis ex pluribus rivis in unum alveum confluentibus.

4.) *Rivus.* Aqua mobilis ex pluribus fontibus ſimul unitis.

5.) *Fons.* Aqua mobilis ex vapore aqueo coadunato.

6.) *Foſſa.* Aqua ſtagnans, impura.

7.) *Palus.* Solum incultum, ſcatens aqua impura, ſtagnante.

8.) *Littus.* Solum mari, lacui, aut flumini proximum.

9.) *Paſcuum.* Solum incultum, minus fertile, ſiccum.

10. *Ager.* Solum cultum, fertile, frugiferum.

11. *Hortus.* Solum cultum, fertiliſſimum, delitioſum.

12.) *Ruderatum.* Solum incultum juxta domos, & vias.

13.) *Fimetum.* Solum incultum, fimum excipiens.

14.) *Vallis.* Solum incultum, depreſſum, collibus aut montibus interiectum.

15.) *Collis.* Telluris ſuperficies modice elevata.

16.) *Mons.* Telluris ſuperficies magis elevata.

17.) *Alpis.* Telluris ſuperficies maxime elevata.

18.) *Saltus.* Sylvarum locus rupeſtris, umbroſus, ſquallidus.

19.) *Sylva.* Arboribus denſe conſita tellus.

20.) *Fruticetum.* Fruticibus conſita tellus.

21.) *Rupis.* Mons terra fertili denudatus.

His addi poteſt Terrae conditio ſaltem praecipua, nempe.

1.) *Humoſa*, atra, ſpongioſa, phlogiſtica.

2.) *Calcaria*, cum acido efferveſcens, in calcem vivam mutabilis,

3.) *Agilloſa*, tenax, plaſtica, igne induranda.

4.) *Sabuloſa*, ſicca, acido fere nullo ſolubilis, cum ſale alcalino fixo vitreſcens.

5.) *Margacea*, conſtans terra calcaria, & argilloſa.

6.) *Ex his compoſita*, multiplex.

IX. PARTUS, ſeu modus, quo ſemen a Planta dividitur, & quidem.

1.) *Revoluto calyce*, ut ventus abripiat, in *Compoſitis* ſemifloſculoſis papposo ſemine praeditis.

2.) *Vi elaſtica* in *Momordica Elaterio*, *Oxali*, *Impatiente* &c.

3.) *Dehiſcente fructu* in Capſuliferis, Leguminoſis.

4.) *Marceſcente aut difluente thalamo in Fragaria veſca*, *Pomiferis*, *Bacciferis*, *Drupiferis plantis.*

Unde promptior vegetatio, quam promovent Venti, Inſecta, Commercia, Aves. Copula artificialis, Maceratio tempeſtiva, Cultura diligens, Curioſorum ſolertia.

X. VITA *PERFECTA* pendens ab aequali, nec alibi impedita propulſione ſucci nutritii.

LAESA ab humore abundante, extravaſato.

ABOLITA, ceſſante vita medullari, defectu alimenti, debili impulſu, aut a praeternaturali fluidorum natura.

HOSTES PLANTARUM ſunt Animal gemmivorum, Avis decorticans, Inſectum terebrans, Calor adurens, Gelu mortificans, Ventus eradicans, Ferrum vulnerans, Ignis deſtruens; unde *Rubigo*, *Defoliatio*, *Galla*, *Gummi*, *Reſina*, *Tuber*, *Fiſſura*, *Caries*, *Clavus*, *Uſtilago*, *Prolificatio*, *Monſtroſitas*, *Sterilitas*, *Mors*.

Hinc Nomenclator empiricus differt a ſyſtematico Obſervatore, ut dies a nocte.

PARS II.

CLASSES PLANTARUM.

OBSERVATIO & DENOMINATIO ſunt duo cardines, quibus tota innititur Scientia Naturae.

OBSERVATIO quaerit rerum differentias perfecta deſcriptione; *DENOMINATIO* inventas indicat nominibus adaequatis.

DIFFERENTIA triplex eſt, nempe *ſumma*, *media*, & *infima*, unde Rerum naturalium diſtributio in *CLASSES*, *GENERA*, *SPECIES*.

Diviſio haec appellatur Syſtema a ſciolis contemptum, a ſapientioribus vero omni aevo aeſtimatiſſimum, nam praeter id, quod obſervationibus innitatur, in ampliſſimo Natutae libro indicem conſtituit, qui brevi tempore docet, quaenam Individua iam fuerint hactenus detecta, & quae nova cenſenda. Scientia Naturae ſine Ordine & ſine Syſtemate eſt corpus ſine anima.

CLASSES quaedam ſunt *Naturales*, aliae vero *Artificiales*. *Claſſes naturales* eruuntur ex judicioſa & accuratiſſima comparatione omnium proprietatum cujuſque Individui; *Artificiales* vero ex unica tantum, aut quibuſdam proprietatibus deſumuntur; hinc ſimilia ſeparant, diſſimilia vero conjungunt, repugnante natura.

Hinc Botanicus, omnisque Naturae verus ſcrutator

1.) Quaerat ea individua, quae conjungunt Regna, Claſſes, Genera, Species inter ſeſe, ſicque pergat tutus, donec hiatus invenerit ſedulo annotandos, ut ſaltem poſteri novos annulos detegant, quibus conficiant catenam omnium rerum adhuc imperfectam.

2.) Genera diſtribuat juxta differentias non ſolum eſſentiales, ſed etiam antecedenti & inſequenti familiae communes.

Ita e. g. *Liliaceae* efficiunt claſſem mediam inter *Gramina* & *Satyria*; nam *Graminibus* accedunt cotyledone unica, foliis indiviſis, ſtaminibus 3. 6.) *Satyriis* vero involucro florali unico, nec non fructu in tria locula diviſo.

Iuncus conjungit *Lilia* cum *Graminibus*, *Siſyrinchium* cum *ſatyriis*.

Antiſcorbuticae mediae ſunt inter Anomalas, & Diſciferas; nam *Anomalis* ſimiles ſunt calyce polyphyllo, corolla polypetala, capſula ſaepius elongata.

Cleome & *Hypecoum* jungunt *Anomalas* cum *Antiſcorbuticis*; ut *Cadaba* proxima *Antiſcorbuticis*.

Harmonicus hic Claſſium conſenſus deſideratur in fragmentis methodi naturalis Ill. a *LINNE'*, ſaltum enim facere oportet tranſituro a *Graminibus* ad *Coniferas*, ab *Umbelliferis* ad *Multiſiliquas*, a *Luridis* ad *Columniferas*. Quaenam adfinitas *Phytolaccae* cum *Aro*, *Boerhaviae* cum *Statice*, *Violae* cum *Convolvulo*, *Berberis* cum *Geranio*?

3.) *Abſolutas Specierum omnium deſcriptiones ſibi comparabit, ex quibus characteres generici naturales, nec non claſſici primarii & ſecundarii deſumendi ſunt.*

Perfecta deſcriptio tradit in quolibet Individuo partium omnium ſtructuram, numerum, ſitum, figuram, proportionem, habitum, qualitates, vires, foliationem, gemmationem, inflorescentiam, vitam, pariendi modum & tempus. Hiſce edoctus Botanicus judicioſa comparatione ſimilia conjungat, ſicque Claſſes & Genera inſtituat charactere primario a fructificatione, ſecundario autem undequaque petito; characterem enim claſſicum naturalem non ſola corolla, non ſola ſtamina, nec ſolus fructus, ſed plurium notarum conſenſus conſtituit, quaecunque demum eae fuerint. Talis eſt e. g. ſingularis *Umbellatarum* habitus; folia integra, lineata, & vaginantia *Graminum*; radices carnoſae

Satyriorum, folia oppoſita *Verticillatarum*, *Muſcorum* viror aqua reparabilis, circinalis gemmatio *Filicum*, aliaeque ſimiles notae.

4.) *Ad fructum attendat potiſſimum.*

Botanicus dextro oculo fructum, ſiniſtro florem reſpiciat; multarum enim Claſſium characteres eſſentiales ex ſolo fructu petuntur, ut patet ex *Graminibus*, *Umbellatis*, *Compoſitis*, *Tricoccis*, aliisque. At valor fructus in conſtituendis Claſſium naturalium characteribus, patet imprimis ex Plantis *Leguminoſis*; cum enim ex hiſce quaedam apetalae ſint, corollatae aliae, ſtaminum numerus & cohaeſio non in omnibus eadem, calyx nunc monophyllus, nunc polyphyllus, corolla in quibusdam monopetala, in aliis polypetala, herbaceae nonnullae, quaedam arboreae, & folia modo ſimplicia, modo vero compoſita, ita ſolus ſupereſt fructus, qui in omnibus nunc eſt Capſula, nunc autem Legumen. Nonne proprio fructu gaudent etiam *Liliaceae*, *Satyria*, *Contortae*, *Verticillatae*, *Polycarpiae*, *Columniferae*, *Antiſcorbuticae*, *Coniferae*? Nonne fructus conſtanter inferus in *Satyriis*, *Scitamineis*, *Strictis*, *Umbelliferis*, *Compoſitis* fere omnibus, & in *Epicarpiis* ſtellatis? Nonne monoſpermus in *Seminudis*, ex quatuor ſeminibus compoſitus in *Verticillatis*, baccatus in *Cucurbitaceis*?

Affinitates plantarum plurimas ſtupenda induſtria detexit laborioſiſſimus *ADANSONIUS*, cujus eximium Opus de *Familiis Plantarum*, qui attentus evolvit, obſtupeſcet ad immenſum laborem, ex quo ſumma Viri diligentia, & vaſtiſſima in Botanicis ſcientia clare eluceſcit. Cum vero nihil perfectum ſit in rebus humanis, ita etiam Viri hujus doctiſſimi principia non omnibus placuerunt; nam 1.) Scriptores eos laudat unice, qui plures Claſſes naturales in ſuis Syſtematibus retinuerunt 2.) *Muſci* non videntur eſſe Plantae Animali Regno proximae, ut nec *Tremella* lapideo 3.) Exceptiones plurimae claſſicos characteres incertos reddunt & obſcuros, 4.) Difficilis videtur tranſitus a *Filicibus* ad *Palmas*, ab *Onagris* ad *Myrtos*, a *Myrtis* ad *Umbellatas*, ab *Umbellatis* ad *Campanulas*, a *Vacciniis* ad *Apocyna*, a *Portulacis* ad *Seda* a *Thymellacis* ad *Roſas*, a *Zizyphis* ad *Leguminoſas*, a *Leguminoſis* ad *Piſtachias*, ab *Annonis* ad *Caſtaneas*, a *Ranunculis* ad *Ara*, ab *Aris* ad *Pinos*.

Hinc veniam forte merebor, quod Genera in pauciores familias diſpoſuerim, eaſque catenata progreſſione alio modo proponere auſus fuerim, non eo animo, ut Naturae veſtigia me ubique ſecutum fuiſſe praeſumam, ſed ut breviore via ducti Tyrones, quaerendis rerum adfinitatibus ſenſim adſueſcant, cum omnis vera cognitio in Hiſtoria Naturae ab hac ſcientia dependeat. En itaque Tribus, quas ego propoſui:

Tribus I. MICHELII. Cryptogamae, abſque foliis, & manifeſta radice *Incompletae*.

II. PLUMIERII. Subcryptogamæ, apetalae	*Obſoletae.*
III. SCHEUCHZERII. Culmiferae, glumoſae	*Gramineae.*
IV. WACHENDORFII. Apetalae, elegantes; ſtaminibus tot aut duplo paucioribus ac ſegmenta, aut folia calycina; fructu in tot locula diviſo, quot ſunt ſtigmata	*Liliaceae.*
V. ADANSONII. Fructiflorae; ſtaminibus 1—2)	*Satyria & Scitamineae.*
VI. GOUANII. Apetalae & corollatae, integrifoliae; calyce monophyllo in apetalis, polyphyllo in aliis; fructu diverſo a *Tribu* V.	*Triſtes.*
VII. AUBLETII. Fructiflorae, polypetalae, angioſpermae.	*Strictae.*

VIII. RIVINI. Fructiflorae, polypetalae, gymnodiſpermae.	*Umbelliferae.*
IX. VALLANTII. Fructiflorae, monopetalae, gymnomonoſpermae	*Compoſitae.*
X. BOERHAVII. Fructiflorae, monopetalae, angioſpermae.	*Epicarpiae.*
XI. BANKSII. Fructiflorae, diverſae a *Trib.* VII-X corolla cum calyce cohaerente.	*Campanaceae.*
XII. IACQUINII. Monopetalae; ſegmentis corollae ad unum latus flexis	*Contortae.*
XIII. TOURNEFORTII Monopetalae; ſegmentis corollae non contortis; foliis aſperis	*Aſperifoliae.*
XIV. FORSTERII. Monopetalae, irregulares, gymnoſpermae; receptaculo ſtylifero	*Verticillatae*
XV. HALLERI. Monopetalae, irregula-	

res, angiospermae; germine ſtylifero. *Perſonatae.*

XVI. ROYENII. Monopetalae; corolla in tubum elongata; fructu ſupero *Tubulatae.*

XVII. RHEEDII. Mono-& Polypetalae; floribus aggregatis & involucratis, receptaculo communi impoſitis; fructu angiospermo, ſupero. *Pſeudocompoſitae.*

XVIII. RAII. Polypetalae; ſtaminibus tot, aut duplo pluribus, ac petala. *Dumoſae.*

XIX. LINNAEI. Polypetalae, calyciflorae, polyandrae. *Calycanthemae.*

XX. SAUVAGESII. Polypetalae; ſtaminibus ex receptaculo ſaepius tot, aut duplo pluribus, ac ſegmenta calycina. *Nomadeae.*

XXI. FORSKALII. Sexu diſtinctae; fructu 2.-3-loculari diſco inſidente. *Tricoccae.*

XXII. MAGNOLII.	Polypetalae, polygyniae, ſtaminibus ex receptaculo.	*Polycarpiae*
XXIII. MORISONII.	Polypetalae, monogyniae; ſtaminibus 12-200)	*Polyandriae.*
XXIV. OEDERI.	Polypetalae; ſtaminibus in plura corpora coalitis	*Icoſandriae.*
XXV. HERMANNI.	Polypetalae; ſtaminibus alicubi, non cum corolla, nec cum calyce, cohaeerentibus	*Columniferae.*
XXVI. BAUHINI.	Polypetalae pleraeque corolla ſaepius irregulari; ſtaminibus tot, aut duplo pluribus, ac ſegmenta, vel folia calycina. Fructus eſt Arillus, Capſula, aut Siliqua	*Leguminoſae.*
XXVII. HILLII.	Polypetalae, irregulares plurimae; flore	

	aut fructu Leguminoſis adfines	*Anomalae.*
XXVIII.	**GRONOVII.** Polypetalae; calycinis foliis & petalis 4); ſtaminibus ſaepius 6)	*Antiſcorbuticae.*
XXIX.	**ALLIONII.** Polypetalae, regulares; ſtaminibus ſaepius duplo pluribus ac petala; germine diſco inſidente.	*Diſciferae.*
XXX.	**LOEFLINGII.** Polypetalae; petalis unguiculatis; calyce perſiſtente; germine diſco inſidente.	*Caryophyllacea.*
XXXI.	**PLUKNETII** Apetalae; calyce perſiſtente; ſtaminibus liberis, ſemine unico intra fructum, aut calycem.	*Deſloratae.*
XXXII.	**BROWNEI.** Apetalae; plaeraeque calyculatae; ſtaminibus baſi unitis, imo calycis loco	

affi-

affixis; fructu ſaepius monoſpermo	*Seminudae.*
XXXIII. HAMELII. Apetalae; ſexu diſtinctae, floribus aggregatis, foliolo diſtinctis.	*Amentaceae*
XXXIV. MILLERII. Apetalae, ſexu diſtinctae; floribus aggregatis, ſquama diſtinctis; ſtaminibus unitis.	*Coniferae.*
XXXV. DILLENII. Cryptogamae, foliaceae, ſurculoſae, in frigido & humido floridae ac vegetae.	*Muſcoideae.*
XXXVI. BATTARAE. Cryptogamae, aphyllae, radicatae.	*Fungoideae.*

Etiam in hoc ordine non facilis tranſitus a *Triſtibus* monoſpermis ad *Strictas*,
Campanulatis cucurbitaceis ad *Contortas*,
Tuboloſis ad *Pſeudocompoſitas*.
Pſeudocompoſitis ad *Dumoſas*.
Tricoccis ad *Polycarpias*.

Seminudis ad *Amentaceas.*

Detectis quoque novis individuis, dividi poterunt in plures Tribus II. VI. X. XVI. XVIII. XXI. XXII. XXV. XXIX.

Cum vero methodum naturalem *nonniſi ſummi & exercitatiſſimi Viri, attenta Generum comparatione, aſſequantur* LUDWIG. *in Praefat. ad Defin. Gen.*, ita certum eſt, Tyrones artificiali methodo eſſe inſtruendos, non tamen interea negligendis, quin imo eodem tempore demonſtrandis Claſſium naturalium characteribus, plantarumque adfinitatibus, quae ad ſolidam plantarum cognitionem recta via ducunt.

Dum vero Plantae in Horto Botanico artificiali methodo demonſtrantur, idem erit, ſive iſta, ſive alia methodus eligatur. Tournefortiana olim erat, & nunc etiam foret aptiſſima, ſi Botanici in ea emendanda, non vero in novis elaborandis, deſudaſſent. Sed poſtquam Rei herbariae cultores jam plurimi ſexualem methodum adoptarunt, imo & in herbariis, hortisque plantae eodem ordine diſtributae nunc paſſim occurrant; ac praeterea celeberrimi LINNAEI opera botanica cuilibet ſtudio huic operam daturo ſint omnino neceſſaria, ita minime incongruum erit, plantas in Horto Botanico non ſolum in Claſſes naturales, ſed etiam in artificiales Linnaeanas diſtribuere, & in demonſtrationibus botanicis indicare ad qualem Claſſem utriuſque methodi quaelibet planta pertineat.

Claſſes *Syſtematis ſexualis* ſequentes ſunt.

Flores manifeſti, iidemque perfecti, ſeu germine & anthera inſtructi, juxta numerum ſtaminum diſpoſiti, Claſſes haſce conſtituunt.

I. *Monandria*, ſtamine unico.
II. *Diandria*, ſtaminibus duobus.
III. *Triandria*, tribus.
IV. *Tetrandria*, quatuor.
V. *Pentandria*, quinque.
VI. *Hexandria*, ſex.
VII. *Heptandria*, ſeptem.
VIII. *Octandria*, octo.
IX. *Enneandria*, novem.
X. *Decandria*, duodecim ad novemdecim.

Iuxta ſtaminum diverſam inſertionem,

XII. *Icoſandria.* Calyci inſerta, viginti & plura.
XIII. *Polyandria.* Ex receptaculo prodeuntia, viginti ad ducenta.
XX. *Gynandria.* Stylo inſidentia.

Iuxta variam filamentorum proportionem inter ſeſe.

XIV. *Didynamia.* Stamina duo longiora, totidem breviora.
XV. *Tetradynamia.* Stamina quatuor longiora, duo vero breviora.

Iuxta diverſam filamentorum, aut antherararum diſtributionem, vel cohaeſionem.

XVI. *Monadelphia.* Stamina in unum corpus coalita.

XVII. *Diadelphia.* in duo corpora connata.

XVIII. *Polyadelphia.* in tria, aut plura corpora diſtributa.

XIX. *Syngeneſia.* Antheris, raro filamentis, coalitis.

Flores manifeſti, ſed imperfecti.

XXI. *Monoecia.* Maſculi & Feminei in eadem planta.

XXII. *Dioecia.* Maſculi in una, Feminei in alia planta.

XXIII. *Polygamia.* Flores perfecti & imperfecti in eadem planta.

Flores nudis oculis non manifeſti, ſeu nuptiis clandeſtinis.

XXIV. *Cryptogamia.*

Claſſes iſtae diverſimode iterum ſubdividuntur & quidem.

I-XIII. juxta numerum ſtylorum aut ſtigmatum. *Monogynia, Digynia, Tetragynia, Pentagynia &c.*

XIV. *Gymnoſpermia*, ſ. ſeminibus nudis.
Angioſpermia, ſ. ſeminibus obtectis
XV. *Siliculoſae*, capſula breviore.
Siliquoſae, elongata.
XIX. *Polygamia aequalis*, floribus omnibus perfectis.
ſpuria, floribus diſci perfectis, marginalibus femineis.
XX. Iuxta numerum ſtaminum.
XXI. *Monandria* *Polyandria*.
Adelphia.
Syngeneſia.
Gynandria.
XXII. Eodem modo ut Cl. XXI.
XXIII. *Monoecia*.
Dioecia.
Trioecia.
XXIV. *Filices*.
Muſci.
Algae.
Fungi.

Anomalae plurimae in hoc ordine occurrunt; nam

1) Plantis flore perfecto immixtae paſſim ſunt aliae flore imperfecto donatae.
2) Non omnes plantae ſub una Claſſe militantes gerunt praefixum ſtaminum numerum.
3) Non omnes *Monadelphiae* ſtamina connata poſſident.
4) Non omnes *Diadelphiae* ſtamina gerunt in duo corpora connata.

5) *Monoeciis* immixtae ſunt plantae flore perfecto, & dioico,

6) *Dioeciis* adjungitur *Salix* flore hermaphrodito.

Vitiis hiſce ut mederetur Ill. LINNÆUS, enumeravit in Epitome Generum cujusque Claſſis eas ſpecies, quibus alius eſt character a claſſico diverſus. At quidquid fuerit adnotatum, nunquam Tyro quaeret inter Diandras plantam ſtaminibus tribus donatam, nec dioicam inter hermaphroditas.

Scriptores alii ſyſtematici, qui ante, & poſt LINNÆUM inclaruerunt, praecipui ſequentes ſunt.

Andreas CÆSALPINUS, radiculae ſitum in ſeminibus nonnullis, fabricam fructus in plantis pluribus, ſeminum numerum, horumque cum ovulis Animalium analogiam, nec non plantas flore carentes, mira vidit perſpicacia, ut ideo elogium illud Tournefortianum juremerito promeruerit, ſolum nempe CÆSALPINUM hanc Botanices partem a nemine adhuc tentatam ſummo ſtudio agitaſſe, ſolumque inter Herbarios methodum plantarum ex fructu petitam, Philoſopho dignam, nobis reliquiſſe.

Rorbertus MORISONIUS, CÆSALPINUM ſecutus, ſtirpes ordinavit

Ex ſubſtantia & habitu *Arbores, Frutices, Suffrutices.*

caule

caule	*Scadentes*, *Culmiferas.*
foliis	*Capillares.*
florendi modo	*Corymbiferas.* *Umbelliferas.*
figura floris	*Galeatas.*
fructu	*Leguminoſas*, *Siliquoſas*, *Multicapſulares*, *Tricoccas*, *Tricapſulares*, 1-5-*capſulares*, *Bacciferas.*
ſemine	*Pappoſas.*
incerto charactere	*Heteroclitas*

Ioannes RAIUS, MORISONIUM inprimis ſecutus, plantarum Claſſes haſce conſtituit.

Ex ſubſtantia.	*Arbores* ab herbis diſtinctae.
loco natali.	*Submarinae.*
caule.	*Fungi*, *Muſci*, *Arundinaceae.*
foliis	*Stellatae*, *Aſperifoliae*, *Capillares.*
infloreſcent.	*Diſcoideae*, *Corymbiferae.* *Capitatae*, *Umbellatae.* *Verticillatae.*
floris defectu.	*Apetalae.*
ſitu.	*Floriferae.*
ſtructura.	*Planipetalae*, *Stamineae.* *Monopetalae*, 2-3-*petalae*, 5 *petalae.* *Anomalae.*

fructu. *Pomiferae, Siliquoſae, Leguminoſae, Multiſiliquae Fructu umbilicato, non umbilicato, ſicco* donatae.

ſemine. *Monoſpermae, Polyſpermae.*

RAIUM ſecuti ſunt SLOANE, PETIVERIUS, paucisque mutatis *Chriſtoph.* KNAUTIUS in *Enumerat. Plant. circa Halam Saxonum ſponte naſcentium.*

Auguſtinus RIVINUS Germanus, Claſſes plantarum a flore deſumptas haſce adoptavit.

Iuxta corollae praeſentiam, aut defectum. *Perfectae, & Imperfectae.*

numerum petalorum. *Monopetalae. Dipetalae, Tripetalae, Tetrapetalae, Pentapetalae, Hexapetalae, Polypetalae.*

flores plures unico communi calyce comprehenſos. *Plantae flore compoſito.*

Methodum hanc adoptarunt HEUCHERUS, *CASP.* GEMAINHARD, LUDWIGIUS, & SIEGESBECKIUS.

Paulus HERMANNUS eodem tempore plantas diviſit

Ex corollae defectu in *Apetalas*, *Muſcoſas*, *Stamineas*, *Iuliferas.*
praeſentia Alias Claſſes.
Fructu ſicco *Unicapſulares*, *Bicapſulares*, *Quadricapſulares*, *Quinquecapſulares*, *Multicapſulares*, *Siliquoſas* &c.
carnoſo *Bacciferas*, *Pomiferas* *Umbillicatas*, *non Umbillicatas.*
Semine nudo *Gymnomonoſpermas*, *Gymnodiſpermas*, *Gymnotraſpermas*, *Gymnopolyſpermas*

Ioſeph TOURNEFORTIUS ſummus Botanicus, ſpecies plantarum ad genera certa retulit, partium omnium floris & fructus cujuſque generis icones incomparabiles nobis reliquit, plantaſque diſpoſuit

Ex Corollae praeſentia aut defectu in *Corollatas* & *Stamineas.*
Structura in *Monopetalas* flore campaniformi, infundibuliformi, hypocrateriformi, rotato.
Polypetalas flore cruciformi cariophyllaeo, roſaceo, liliaceo,

ceo, papilionaceo, labiato, perſonato, anomalo.

Corollis pluribus unico communi calyce comprehenſis, in *floſculoſas, ſemifloſculoſas, radiatas.*

Diviſit herbas ab Arboribus & Fruticibus.

Corolla, aliorum exemplo, Vegetabilibus adnumeravit.

Characteres generum ſecundarios adoptavit.

TOURNEFORTII methodum retinuerunt PLUMIERIUS, FEVILLÆUS, ISNARDUS, VAILLANTIUS, IUSSIÆUS, MICHELIUS, PONTEDERA, SEQUIERIUS, LINDENIUS, BERGENIUS, ALSTONIUS, aliique.

Albertus HALLERUS, Vir doctiſſimus, patrias ſtirpes, quas ipſe collegit, vel ab amicis accepit, diſpoſuit

Iuxta ſtamina manifeſta in *Compoſitas, Didynamias, Staminibus connatis* 8. 20) *inſtructas, Cruciferas, Meioſtemones, Iſoſtemones, Diploſtemones, Polyſtemones, Liliaceas. Satyria, Piperitas, Gramineas, Apetalas.*

Inconſpicua, in *Caulifolias, Epiphylloſpermas, Muſcos, Lichenes, Filamentaceas, Fungos.*

Adrianus ROYENIUS ex cotyledonibus plantas diſtribuit

In Monocotyledones. *Palmae, Lilia, Gramina,*

Polydotyledones. *Ameutaceae, Umbelliferae, Compoſitae, Aggregatae, Tricoccae, Incompletae, Fructiflorae, Calyciflorae, Ringentes, Siliquoſae, Columniferae, Leguminoſae, Oligantherae, Diploſantherae, Polyantherae, Cryptantherae, Lithophyta.*

ROYENII methodum amplexi ſunt *Io.* GMELINUS in *Flora Sibirica, Philippus* GMELINUS in *Hortis botanicis.*

Everhardus WACHENDORFFIUS novum ordinem inſtituens, plantas floribus manifeſtis donatas *Faneranthas*, occultis vero & inconſpicuis inſtructas *Cryptanthas* appellans, ſexdecim Claſſes, ſeſquipedalibus ex graeca penu deſumptis nominibus inſignatis, juxta numerum cotyledonum, juxta ſitum, cohaeſionem, & proportionem ſtaminum, juxta calycis figuram propoſuit,

Ioannes GLEDITSCHIUS, poſtquam plantas diviſit in *Phoenoſtemones*, ſeu ſtaminibus manifeſtis inſtructas, & in *Cryptoſtemones*, ſeu ſtaminibus occultis donatas, ex eorum ſitu, aut defectu, haſce Claſſes ſtabilivit.

Thalamoſtemones, quarum ſtamina receptaculo fructificationis, aut floris proprio, nec non ejus nectario diſtincto, rariſſime vero receptaculo cuidam communi inſeruntur.

Petaloſtemones, quarum ſtamina corollae, aut ejus nectario diſtincto, inſeruntur.

Calycoſtemones, ſtaminibus Perianthio, ſeu Calyci fructificationis, vel floris proprio imſertis, aut ejus nectario diſtincto inpoſitis.

Styloſtemones, ſtaminibus Piſtillo, aut ejus nectario diſtincto inſertis.

Cryptoſtemones. Filicinae, Muſcoideae, Algaceae, Fungoideae.

Carolus ALLIONIUS florem in qualibet planta nunc perfectum, nunc vero imperfectum obſervans, Claſſes primarias Vegetabilium ex corollae praeſentia, aut defectu, nec non ex numero petalorum corollam conſtituentium; ſubalternas vero ex ſtaminibus determinavit, ſicque Claſſes haſce condidit:

Monopetalae ſimplices
compoſitae.
Dipetalae.
Tripetalae.
Tetrapetalae.
Tetra- & *Pentapetalae*.
Pentapetalae gymnodiſpermae, angioſpermae.
Hexapetalae.

Polypetalae.
Apetalae non gramineae
gramineae.
Flore imperfecto donatae.

Ioannes HILLIUS denuo novas, eaſque ſequentes plantarum Claſſes introduxit.

Herbae floribus manifeſtis,
collectis.
ſeparatis.
perfectis.
imperfectis.
occultis
terreſtres.
marinae.
Arbores.

David NEESE Hortulanus, iuxta cotyledones plantas ita diſpoſuit.

Monocotyledones.
Cotyledone.
inviſibili,
perforato.
radicato,
funiculato.
viſibili.
Dicotyledones
Cotyledonibus
inviſibilibus.
ſubreniformibus.
ſemigloboſis.
viſibilibus
ſemioviformibus.
exſectis.

PARS III.

GENERA PLANTARUM.

NAturae Scrutator examinat in quolibet Individuo characterem primo claſſicum, dein genericum, ac demum ſpecificum.

Ergo character genericus a charactere claſſico & ſpecifico omnino diverſus eſt.

Diverſitatem hanc Veteres ignorabant, donec CONRADUS GESNERUS, dein CÆSALPINUS, MORISONIUS, TOURNEFORTIUS, ac poſt eum omnes, differentiam ſpecificam a generica ſeparantes, genera conderent, quae novam dederunt Scientiae vitam.

Character genericus unus eſt naturalis, alius vero eſſentialis. Primus dicitur ille, qui claſſicum quoque complectitur; ſecundus autem excludit claſſicum characterem, eaque ſola diſcrimina continet, quae dato generi, nec alteri propria ſunt.

Ergo character eſſentialis genericus ex naturali eruendus eſt.

At quaenam ſunt in plantis eae partes, quae ſuppeditant characterem naturalem certum & infallibilem? Quaeſtioni huic reſpondens immortalis TOURNEFORTIUS, ait, Florem & Fructum abunde ſufficere ad genera diſtinguenda. TOURNEFORTIUM ſecutus LINNÆUS, demonſtrat ſufficere fructificationem generibus ad minimum 5736), quae nunquam exiſtent. Alii econtra docent, characterem genericum deſumi poſſe etiam ex Habitu, Infloreſcentia, Foliis, aliisque notis a flore & fructu diverſis; hinc tot lites, tot nova genera, tantaque confuſio, ut genera a ſpeciebus vix diſtinguantur.

Coercenda itaque haec arbitria, & ſtatuendae leges, quarum ductu, certa genera ſtatuantur; quouſque enim in Republica botanica quilicet Scriptor novas leges inſtituit, nullus ordo, nullaque veritas ſperari poterit. Neque mihi hanc arrogo dictaturam, ea unice dicturus, quae obſervanda eſſe cenſeo ad ſtabilienda genera fixa & genuina.

1) *Character genericus, omnibus ſpeciebus ſub eodem genere militantibus communis ſit atque infallibilis.*

Omnis ſolida cognitio in Scientia Naturae innititur certis generibus, certitudo vero generum characteribus non ambiguis, nec arbitrariis. Hinc

quo-

quodlibet genus non alia admittat Individua quam illa, quae datum poſſident characterem, aliis omnibus excluſis, quae eo ſunt deſtituta; en exempla nonnulla.

Melaſtomae characterem genericum conſtituunt *Calyx* quinquefidus, campanulatus. *Petala* quinque, calyci inſerta. *Stamina* decem. *Stylus* unicus, *Bacca* quinquelocularis, calyce obvoluta.

Excluditur itaque ab hoc genere *Melaſtoma* diſcolor *IACQUINII* calyce quadridentato, *corolla* tetrapetala, *ſtaminibus* octo; vel generis character alius eſt ſtatuendus.

Clutia eſt plantae genus dioicum, cui *Calyx* pentaphyllus. *Corolla* pentapetala. *Styli* feminae tres, & *Capſula* trilocularis; Mari *ſtamina* gynandra.

Excludenda eſt ergo *Clutia* Eleuteria calyce ſexfido, ſtaminibus denis.

Rhamnus eſt plantae genus, cui *Calyx* tubuloſus; ſquamis ſtamina munientibus. *Corolla* nulla. *Fructus* baccatus.

Excluditur itaque *Rhamnus* igvanus calyce minime tubuloſo, ſquamis deſtituto, & fructu drupaceo.

Leontodon eſt plantae genus, cui *Flos* compoſitus, ſemifloſculoſus. *Calycinae* ſquamae imae reflexae. *Semen* pappo ſtipitato inſtructum. *Receptaculum* nudum.

Excludatur ergo *Leontodon* autumnale, hiſpidum, hirtum, aliaeque ſpecies eo charactere deſtitutae.

2) *Character genericus primarius eruendus ex proportione, ſitu, numero, & figura partium floris & fructus.*

Proportio partium floris & fructus genera certa docet, tacitoque imperio conjungit

Dracenam	cum	*Aſparago.*
Leucoium		*Galantho.*
Pancratium		*Narciſſo.*
Morcaeam		*Iride,*
Scherardiam		*Gallio.*
Bacopeam AUBLET.		*Bellonia.*
Peteſiam		*Pavetta.*
Apocynum		*Pergularia.*
Orobanchen		*Lathraea.*
Androſacen		*Aretia.*
Exacum		*Budleia.*
Calicarpam		*Aquartia.*
Peplim		*Ammania.*
Sempervivum		*Sedo*
Saponariam		*Lychnide &c.*
Satyrium		*Orchide.*
Kempferiam		*Curcuma.*
Saracam		*Waldſchmidia.*
Cariteriam		*Skinnera.*
Vomitam		*Corno.*
Nacibeam		*Oldenlandia.*
Sicelium		*Ixora.*
Valicaram H.MALAB.		*Catesbaea.*

Volkameriam	cum	*Citharexylo.*
Ipomeam		*Convolvulo.*
Chloram		*Gentiana.*
Kalmiam		*Rhododendro.*
Sorbum		*Meſpilo.*
Rottbolliam		*Ximenia.*

3) *Cavendum, ne genera abſque neceſſitate multiplicentur.*

Adeoque regulae ſtatuendae, quae noxia haec coerceant arbitria. En aliquas.

1) *Situs* genera conſtituit, ſi Calyx ſuperus, aut inferus.
ſi Corolla ex calyce aut receptaculo prodeat.
ſi Stamina calyci, nectario, vaginae, receptaculo, aut ſtylo inſeruntur.
ſi Semina diverſo loco in fructu affiguntur.

In genere *Saxifragae* tolerantur Plantae fructu infero & ſupero donatae.

2) *Numerus* in charactere generico ea conditione perpetuo admittendus, ne

diſdifferenriam genericam ſolus unquam conſtituat : nam

Calyx in *Crotone lucido* decemphyllus, in *lobato* quinquefidus; tetraphyllus in *Ciſſampellos Mare*, monophyllus in *femina.*

Corolla monopetala & polypetala in *Trifoliis*; ſexfida in *Hernandia Mare*, octofida in *femina* AUBLET. nunc praeſens, nunc deficiens in *Sagina procumbente*, in ſpeciebus *Helicteris*, in *Pepli Portula.*

Stamina 2-3-4) in *Verbenis* & *Valerianis*, 4-8) in *Rivinis*, 5-10) in *Ceraſtiis* & *Spergulis*, 5-6-7-8) in *Polygonis*, 8-10-12) in *Samidis* &c.

Nectarium praeſens & nullum in *Antirrhinis*, *Orchidibus*, *Tiliis*, *Dalechampia ſcandente*; monophyllum & diphyllum in *Delphiniis.*

Stilus varians in *Polygonis*, *Nigellis*, *Trianthemis* &c.

Semina numero diverſa in plantis plurimis.

Excipiuntur tamen 1) *Gramina* nonnulla, quorum character genericus pendet a ſolo fere numero floſculorum ex eodem calyce prodeuntium.

2) *Columniferae* quaedam, quae ſolo numero ſe-

ſegmentorum calycis primi inter ſeſe differunt;

Donec certiores notae innotuerint.

Hinc non bene ſolus numerus partium floris aut fructus ſeparavit

Pecheriam a *Chiococca.*
Mitellam a *Ginora*
Aphanem ab *Alchimilla.*
Limborchiam a *Naubea.*
Phyllirearn a *Iaſmino.*
Ourateam a *Bakea.*
Pataram ab *Hirtella.*
Samaram a *Comocladia.*
Catesbaeam a *Morinda.*
Claytoniam a *Montia.*
Nacybeam ab *Oldenlandia.*
Bertieram a *Genipa* &c.

4) *Structura eſt lapis ille fundamentalis, cui generum characteres genuini inaedificandi; econtra vero ſpuria & arbitraria ea omnia cenſenda, quae ex ſola partium floris fructusque figura, aut numero ſtabilita fuerunt.* Talia ſunt e. g.

Borbonia PLUMIER. corolla pentapetaloidaea diverſa a *Lauro.*
Rhodia DILLEN. quadrifida a *Lino.*
Auricula urſi TOURNEFORT. hypocrateriformis a *Primula.*
Valeranoides VAILLANT. caudata. a *Valeriana.*
Arenaria LINN. petalis integris a *Stellaria.*

Chamelota ADANSON.
radice carnoſa a *Siſyrinchio*.
Acetoſa TOURNEF.
ſapore acido a *Lapatho*.
Virga ſanguinea DILLEN. ſola inflorescentia a *Corno*.
Geaſter MICHELII, cortice in valvas dehiſcente a *Lycoperdone*.

Plura his ſimilia vide apud LINNÆUM *Phil. Bot.* n. 164. 167. 168. 183.

5) *Hinc character genericus minime genuinus eſt, qui deſumitur ex ſolo ſexu, aut minuto quodam diſcrimine.*

Sexum nec ipſemet attendit Ill. LINNÆUS in generibus *Valerianae*, *Avenae*, *Hordei*, *Rhamni*, *Viburni*, *Rumicis*, *Cucubali*, *Lychnidis*, *Phytholacae*, *Spireae*, *Clematis*, *Tripſaci*, *Caricis*, *Urticae*, *Myriophylli*, *Salicis*, *Ruſci*, *Loranthi*, *Napeae*, &c.

Minuta diſcrimina, quae differentiam vix conſtituunt, ſunt e. g.
Antherae baſi biſetae in *Inulis*.
Corollae limbus magis concavus in *Aſperulis*.
Corolla ovata in *Andromedis*.
Calyx inermis in *Serratulis*.
Calyx conicus in *Sonchis*.

6) *Character genericus ſecundarius peti debet ex notis, a partium floris fructusque ſitu, pro-*

proportione & ſtructura diverſis, dummodo in qualibet ſpecie conſtanter occurrant.

Tales ſunt e. g. Color calycis *Petreae* & *Calophylli.*

Pulchritudo petali infimi in *Caeſalpinia.*
Bacca maculata in *Convallariis.*
Lac in *Euphorbiis.*
Folia lobata in *Bauhiniis.*
    ternata in *Trifoliis.*
    nulla in *Cuſcutis.*
Habitus paraſiticus in *Epidendris.*
    arboreus in *Pinis*, *Fagis* &c.

7) *Notae generum obviae ſint & manifeſtae, quae Tyronem abſque taedio & difficultate in cognitionem ſtirpium inducant. RAY.*

Adſunt in omni Individuo notae quaedam evidentes, quae nos docent quale ſit genus, & quaenam ſpecies. Microſcopicas obſervationes non contemno, ſed ſi minima quaeque in plantis detegi deberent, antequam genus ſtatuatur, vix decem plantas per totam vitam examinabit Botanicus, & plurima adhuc laterent, quorum characteres claſſici, generici, ſpecifici, abſque lentibus innotuerunt.

Qui minima quaeque in plantis detexerit, ac praeterea docuerit, an

Fungi ad Regnum vegetabile, an vero ad animale referendi ſint, hic magnus erit Apollo. Interea vero ſcire ſufficiat, *Agaricis* pileum eſſe ſubtus lamelloſum, *Boleto* ſubtus poroſum, *Hydno* ſubtus echinatum, *Merulio* ſubtus rugoſum aut venoſum, *Elvelae* levigatum & membranaceum, *Pezizae* lentiferum, *Phallo* rimoſum, *Clathro* cancellatum, *Clavariae* laeve, *Lycoperdoni* ſubrotundum & apice dehiſcens.

8) *In generibus ſtatuendis fructus magis quam flos eſt attendendus; hinc plantae, quae flore conveniunt, fructu autem differunt, ſub eodem genere non militabunt.*

Regula haec tamen ſummenda
cum grano ſalis.

Valorem fructus in ſtatuendis generibus demonſtrant *Palmae*, *Umbelliferae*, *Compoſitae*, *Cucurbitaceae*, *Antiſcorbuticae* &c.

Idem conjungit *Chamaebuxum* cum *Polygala*: *Mahaleb* cum *Ceraſo*, aliaſque plurimas plantas in unum genus.

Heliconiam	a	*Muſa.*
Gauram		*Trapa.*
Rubiam		*Galio.*
Hediotim		*Spermacoce.*
Dortmannam		*Laurentia.*

Cucur-

Cucurbitam	a	*Trichoſanthe.*
Gymnopogon		*Rauvolfia.*
Onoſmam		*Cerinthe.*
Lithoſpermum	ab	*Anchuſa.*
Hyobanchem		*Acantho.*
Celaſtrum		*Evonymo.*
Androſemum		*Hyperico*
Malviſcum		*Hibiſco.*
Nicandram		*Atropa.*
Sterim	a	*Capſico.*
Elliſiam		*Phloxe.*
Anagallim		*Lyſimachia.*
Plantaginem		*Centunculo.*
Zizyphum		*Rhamno.*
Paliurum		*Rhamno*
Cupheam		*Lythro.*
Comarum		*Fragaria.*
Hydrangeam		*Saxifraga.*
Magnoliam		*Michelia*
Glaciuum		*Chelidonio.*
Malopem		*Malva.*
Campechiam		*Caſſia.*
Bonaveriam		*Coronilla.*
Nekeriam		*Fumaria.*
Cucubalum		*Lychnide.*
Amygdalum		*Pruno.*
Meſpilum		*Pyro* &c.

Ergo nova genera erunt *Nymphaea Nauchel BOURMANNI.*

Columnea chinenſis OBSEKII.
Exacum Guianenſe AUBLETII.
Chironia baccifera LINNÆI.

Portulaca triangularis IACQUINI.
Bontia nitida LOEFLINGII,
aliaeque ſimiles.

Regula haec tamen nondum valet in *Graminibus*, *Orchidibus*, atque *Satyriis*, quia corolla in his claſſibus characteres genericos evidentiores praebet, etſi attentior conſideratio fructus certa quoque diſcrimina ſuppeditare poſſet. Idem dicendum de *Æſculo*, cujus fructus cum *Fago* plurimum convenit.

9) *Novo generi novum nomen imponendum eſt, idque inſtructivum, botanicum, aut commendatitium.*

Inſtructivum ſeu characteriſticum nomen eſt illud, quod ex flore, aut fructu, vel ex habitu, infloreſcentia aut aliqua plantae qualitate deſumitur. *Conveniant rebus nomina quaequae ſuis.*

Talia nomina ſunt e. g.

Graeca.

Hematoxylum	ſeu	Lignum rubrum.
Adenanthera		Anthera glanduloſa.
Tetracera		Quadricornis.
Lithoſpermum		Semen lapideum.
Tricoſtema		Stamen capillare.
Cardioſpermum		Semen cordiforme.
Dianthera		Antherae binae.
Calophyllum		Folium pulcrum.
Galanthus		Flos lacteus.

Ceratocarpus	Fructus cornutus.
Hippuris	Cauda equi.
Eriocephalum	Caput lanatum.
Glyzyrrhiza	Radix dulcis.
Eriophorum	Lanam gerens.
Dracocephalum	Caput draconis.
Cynogloſſum	Lingua canis.
Melampyrum	Granum nigrum.
Tetragonotheca	Capſula quadrangula.
Chryſophyllum	Folium aureum.

Latina.

Globularia	a	floribus in globum congeſtis.
Rubia		colore rubro, quem praebet.
Aſperula		ex aſpera ſuperficie.
Mirabilis	a	floris pulcritudine.
Primula		floribus primo vero prodeuntibus.
Aſtrantia	ab	Involucro ſtellam referente.
Angelica	a	virium praeſtantia.
Glorioſa		floris elegantia.
Cornucopia	ab	Involucri figura.
Impatiens	a	capſula attactu diſiliente.
Campanula		figura corollae.
Craſſula		craſſitie foliorum.
Convolvulus	ob	caulem circa alias plantas ſe convolventem.
Clypeola	a	fructu clypeiformi.
Sanicula		ſanandis vulneribus.

Tuſſi-

Tuſſilago a	vi tuſſim ſedente.
Salſola	ſapore ſalſo.
Gladiolus	folio gladium referente.

Botanicum nomen inſtructivo ſuccedaneum deſumitur a cognomine Viri, qui rem herbariam novis obſervationibus illuſtravit. Talia ſunt e, g.

Tournefortia
Plumieria
Boerhavia
Petitia.
Niſolia.
Iſnarda.
Ammannia.
Houſtonia.
Halleria.
Montia.
Linnaea.
Iacquinia
Adanſonia.
Aubletia.
Forſteria.
Bergia.
Forskalia.

Vaillantia.
Iuſſiaea.
Dillenia.
Ruppia.
Pontederia.
Michelia.
Alionia.
Loeſelia.
Knautia.
Rheedia.
Rivina.
Magnolia.
Gouania.
Caeſalpinia.
Bauhinia.
Moriſonia.
Bocconia. &c.

Unicum hoc Obſervatorum, aut Promotorum praemium cautiſſime, nec erga accepta aut ſperanda beneficia diſpenſandum; hinc *Bohadſchiae* denominatio non bene abolita, eique *Peltariae* nomen ſubſtitutum.

Commendatitium vero nomen eſt illud, quod ab Illuſtribus Viris deſumitur, qui rem herbariam exſtructis Hortis, aut alio inſigni favore, locupletarunt. Talia ſunt e. g.

Cliffortia.
Eugenia,
Maurocenia.
Begonia.
Poinciana.
Petrea.
Sherardia.
Boſea.
Ginoſia.
Swietenia.

10) Rejicienda itaque ſemper omnia nomina

1) *Seſquipedalia*, ut e. g. Anemonoſpermos COMMELIN. Pſeudogelſeminum RIVIN. Eupatoriophalacron VAILLANT. Hypophyllocarpodendron BOERHAV. Scolimocephalus HERMANN. Monoſpermalthea NARD. Pentapterophyllum DILLEN. Anapodophyllum TOURNEFORT. Difficulter pronuntiantur, graeci idiomatis ſcientiam ſupponunt, aut plurium Individuorum cognitionem exigunt, quae a Tyrone expectari non debet.

2) *Provincialia*, malabarica, indica, germanica, aliaque ſimilia. Haec ratio me movit, ut LINNAEO duce, mu-

mutarem nomina generica a Cl. AUBLETIO introducta. Omnia tamen non mutavi, minus barbara, minuſque arbitraria.

3) *Aequivoca.* Aſtragaloides TOURNEFORT. Anagallidaſtrum MICHEL. Erucago BAUHIN. Lupinaſter BUXBAUM.

Ideae rerum abſolutae ſint & adaequatae, non relativae & compoſitae. *Lycopodioides* eſt muſcus *Lycopodio* ſimilis: quaenam haec notio? vel eſt *Lycopodium*, vel aliud genus. Recta via, non per ambages eundum in Scientia naturae.

4) *Diſſylaba.* Barba jovis TOURNEF. Criſta galli RIVIN. Ferrum equinum LOBEL. Palma filix TREW. Pſeudo-Orchis MICHEL &c.

Quod unico vocabulo exprimi poteſt, non debet per plura, ne hoc abuſu nomina eouſque multiplicentur, ut differentia ſit loco nominis.

5) *Relativa.* Polygonifolia VAILLANT. Linocarpon MICHEL, Corallodendron TOURNEF. Polifolia BUXBAUM.

Polygonifolia eſt planta folio *Polygoni*; ſed ſi aliae ſpecies ad idem genus ſpectantes, inveniuntur, quae *Polygoni* folia non habent, nonne vitioſa inde apparebit denominatio ex foliorum alterius Individui figura deſumpta?

6) *Religioſa. Pater noſter, Spina Chriſti. Calceolus Mariae* &c.

Nomina haec non neceſſaria minime toleranda.

7) *Claſſibus communia. Muſcus, Fungus, Palma.*

Nomen proprium detur Claſſi, & aliud cuique generi; ſicut enim nomina Provinciarum diſtincta ſunt a nominibus Civitatum, ita etiam nomina generica plantarum diverſa ſint a Claſſium nominibus.

8) *Amicorum, Aubrieta, Baillauviana, Lanciſia, Bonarota* &c.

Reformatorum, aut Promotorum nomina imponenda generibus plantarum, nec alia.

9) *Animalium. Elephas, Meleagris, Natrix, Eruca*, &c.

Imaginaria eſt analogia floris cum quolibet animali.

10) *Lapidum. Molybdena, Granatum, Heliotropium* &c.

Lapidibus ſua nomina, ſuaque denuo plantis imponenda.

11) *Regionum. Ternatea, Molucca, Caira* &c.

Si plantae genus unum diceres Lipſiam, aliud vero Vindobonam, qualia forent haec nomina?

12) *Oeconomica. Solea equina, Candela, Serra, Corona* &c.

Inſtrumentornm aliarumque rerum ad oeconomicos uſus ſpectantium nomina plantis nunquam tribuenda.

13) *Anatomica. Umbilicus, Auricula, Epiglottis* &c.

Botanico neceſſaria non eſt ſcientia partium humani corporis.

14) *Medica. Hepatica, Cardiaca, Paralyſis, Vulneraria.* &c.

Non omnes plantae ad idem genus ſpectantes, eaſdem medicas poſſident vires. &c.

15) Nec placent nomina generica idem ſignificantia, ut *Canaria, Canarium, Melicoccus, Melicocca.*

Denique Botanicos omnes obſecro, ne mutent amplius nomina generica a LINNÆO introducta, ut nec illa, quae genuina, non vero barbara imponent alii Botanici: nihil enim incrementis Scientiae naturalis magis adverſum eſſe poteſt, quam arbitraria mutatio nominum genericorum.

PARS IV.

SPECIES PLANTARUM.

SPECIES ſunt Individua a DEO creata, adeoque a *Hybridis* & *Varietatibus* probe diſtinguenda.

Hybridum eſt Individuum extemporaneum productum a copula duarum ſpecierum ſub eodem genere militantium.

Varietas eſt Individuum abſque alterius concurſu mutatum a cauſa accidentali.

Quaelibet res creata characterem proprium conſtantem atque immutabilem poſſidet, a Creatore datum, quo differt ab aliis tam cognitis, quam detegendis. Ita cultura mutavit in *Tulipa* florem diverſimode, ſed ex radice bulboſa fibroſam, aut ex foliis integris compoſita nunquam produxit. In Umbelliferis ſemina alata nunquam in alia nec in compoſitis thalamus paleaceus in nudum unquam mutatus fuit, aut econtra.

Character ſpecificus, ſeu infimus, a charactere claſſico & generico diſtinctus eſſe debet, ita e. g. *Veronicae ſibiricae characterem claſſicum conſtituunt ſtamina duo; genericum* Corolla *quadrifida: ſegmento uno minore, & Capſula bilocularis.*

Specificum folia verticillata, ſeptena.

Differentia ſpecifica *legitima* eſt illa, quae dato Individuo, nec alteri congeneri propria eſt.

infallibilis autem erit, ubi innotuerint omnes ſpecies ad idem genus referendae; ſic nota eſſentialis *Cynometrae* cauliflorae, a florifero trunco petita, tamdiu erit legitima, donec innotuerit alia ſpecies eodem charactere, ſpecifico inſtructa.

Qui diſcrimina haec ignorabant Botanici, erronea dederunt, eaque

1) *Idealia. Salvia* altera, perelegans & H. R. P.
Satyrium primum. MATHIOL.
Cepa vulgaris. C. BAUH.

2)

2) *Hypothetica. Marum* verum LUGDUNENS.
Acorus adulterinus. C. BAUH.
Satyrium abortivum LOBEL.

3) *Imaginaria. Orchis* ſaurodes, vel ſcincophera GEMM.
Alſine foliis Triſſaginis. LOBEL.
Lithoſpermum tertium DODON.

4) *Relativa. Teucrio* affinis Chamerops. C. BAUH.
Alcea magno & parvo flore. EIUSD.
Melo ſaccharinus. TABERNEM.

5) *Hiſtorica. Samolus* Valerandi. I. BAUH.
Amanita Divi Georgii. DILLEN.
Lichen *DIOSCORIDIS* & PLINII.

6) *Localia. Tithymalus* americanus PLUMIER.
Convolvulus Zeylanicus. H. LUGDB.
Penthaphylloides ſvecicum. PLUKNET.

7) *Graeca. Lotus* tetragonolobus. RIVIN.
Hieracium Myophor. HEUCHER.

Papaver polyanthon. LOB.
8) *Temporaria. Narciſſus* ſerotinus. SWERT.
Tulipa praecox. CLUS.
Aconitum hyemale. LOB.
9) *Metaphorica. Prunus* inſana. C. BAUHIN.
Urtica mortua. DODON.
Meum adulterinum. TABERNEM.
10) *Negativa. Bidens* folio non diſecto TOURNEFORT.
Lychnis petalis non bifidis. MORISON.
Hippuris non aſpera. C. BAUHIN.
11) *Comparativa. Orchis* myodes. GEMM.
Medica caſeiformis. RUDBECK.
Agaricus tubae fallopianae forma. TOURNEF.
12) *Oeconomica. Agrimonia* Officinarum. C. BAUH.
Rubia tinctorum. EIUSD.
Lathyrus ſativus. LUGD.

Differentiae ſpecificae neceſſariae ſunt, ubi plures ſpecies ſub uno genere militant; hinc ſi adeſt unicum Individuum, quod proprium Genus conſtituit, ſuperfluus eſt character ſpecificus.

Ut vero alia ſpecies demum detecta cum priore comparari, ſicque genuina utriusque differentia ſtatui queat, loco characteris ſpecifici addenda eſt brevis de-

deſcriptio, ut fecit LINNAEUS in *mantiſſis*, & alibi.

Novae ſpeciei non ſolum character ſpecificus aſſignandus, ſed triviale quoque nomen imponendum eſt.

Trivialia erant nomina rerum primaevis hominibus, eademque Plantis data ſunt ſub initium hujus ſaeculi, ut patet ex ſcriptis BAUHINORUM, LOBELII, CLUSII, TABERNEMONTANI, aliorumque. Talia ſunt e. g.

Gentiana cruciata C. BAUHIN.
Hemerocallis calcedonica LOBEL.
Daucus vulgaris CLUS.
Soldanella alpina CAMERAR.
Scabioſa arvenſis TABERNEMONT.
Panax Herculeum MORISON.
Aſarum canadenſe CORNUT.
Laurus camphorifera KÆMPFER.
Globularia ſpinoſa TOURNEF.
Atriplex olida BLAKWELL.
Chondrilla cichorioides DILLEN.
Lactuca ſylvatica GESNER.
Sonchus aſper DODON.
Solidago ſaracenica FUCHSII.
Polium majus CORD.
Ageratum purpureum LUGDUN.
Allium anguinum MATHIOL.
Lilium rubrum PASSAEI.
Orchis maſcula RIVIN.
Herniaria hirſuta RAY.
Hippophae Dioſcoridis COLUMNÆ.

Cum vero nomina haec differentias ſpecificas conſtituere non poſſent, ita primus, qui Individua omnia, ex triplici Naturae Regno, vivida imaginatione, ac ſtupenda induſtria, non ſolum characteribus ſpecificis, ſed etiam nominibus trivialibus donavit, fuit immortalis Eques *Carolus* à LINNE', cujus exemplum ſyſtematici Naturae rerum ſcrutatores jam omnes fere ſequuntur.

Nomina haec utiliſſima ab Inventoribus introducta, nunquam mutanda ſunt, licet arbitraria ſint, ac minus apta.

Non facile dictu eſt, quanta commoda acceſſerint Rei Herbariae, ex nominibus trivialibus a LINNAEO introductis. Commercia Botanica ſic coluntur facilius, cognitio rerum maxime promovetur, & ſublevatur memoria ab arduo labore tot nomina retinendi, quot ſunt illa, ex quibus conſtant differentiae ſpecificae. Certe *Euphorbiae* ſpecierum ſexaginta quatuor hactenus detectarum nomina trivialia multo facilius memoriae mandari poterunt, quam ſexcenta & quinquaginta ſex, ex quibus conſtant characteres earum ſpecifici a LINNAEO traditi. Iam vero quemadmodum nomina Regnorum, Provinciarum, Urbium, & Familiarum a toto Orbe recepta a nemine mutari poſſunt, ita nec nomina trivialia Plantarum ab Inventoribus tradita unquam mutanda ſunt. Optandum tamen eſſet, ut nomina quoque trivialia impoſterum imponenda, ſint, *inſtructiva*, *ſeu ex habitu, aut ſtructura petita.*

Talia hactenus ſuppeditarunt

1) *Radix.* *Lemna* monorrhiza. *Ariſtolochia* rotunda. *Ophris* Monorchis &c.

2) *Caulis.* *Gentiana* filiformis. *Epilobium* hexagonum. *Pothos* acaulis. *Tetracera* volubilis. *Bauhinia* aculeata &c.

3) *Folium.* *Pontederia* ovata. *Convallaria* bifolia. *Podophyllum* peltatum. *Paſſiflora* pedata. *Anabaſis* aphylla &c.

4) *Corolla.* *Helicteres* apetala. *Ophris* inſectifera. *Magnolia* grandiflora. *Coreopſis* leucantha. *Dryas* pentapetala &c.

5) *Stamina.* *Omphalea* diandra. *Peplis* tetrandra. *Loranthus* pentandrus. *Dais* octandra. *Chlora* dodecandra, *Phito-*

tolacca icoſandra. *Crataeva* gynandra &c.

6) *Germen. Trianthema* monogyna &c.

7) *Fructus. Cucubalus* baccifer. *Pſidium* pomiferum. *Capparis* ſiliquoſa. *Lecythis* Ollaria &c.

8) *Sexus. Tripſacum* hermaphroditum. *Clutia* androgyna. *Guilandina* dioica. *Glycine* monoica &c.

9) *Infloreſcentia. Gentiana* verticillata. *Tillandſia* monoſtachia. *Ornithogalum* uniflorum. *Bidens* nodiflora. *Pirola* umbellata &c.

10) *Qualitas. Helleborus* foetidus. *Viola* odorata. *Quaſſia* amara. *Limonia* acidiſſima. *Gentiana* lutea. *Potentilla* argentea. *Lobelia* urens. *Hippochaeris* maculata &c.

11)

11) *Vita.* *Oenothera* fruticoſa. *Martynia* annua &c.

12) *Habitus.* *Achillea* nana. *Ageratum* altiſſimum. *Cactus* flagelliformis &c.

13) *Patria.* *Eryngium* aquaticum &c.

14) *Florendi tempus.* *Galanthus* nivalis. *Helleborus* hyemalis. *Adonis* vernalis. *Colchicum* autumnale &c.

15) *Proprietates.* *Mirica* cerifera. *Bubon* gummiferum. *Nepenthes* deſtillatoria &c.

Si innotuerit nova ſpecies, cui conveniat nomen aliquod triviale alteri ſpeciei impoſitum, non ideo mutanda ſunt nomina data; erunt enim abſque dubio aliae notae, quae novo Individuo inſtructivum nomen ſuppeditabunt.

Nomina trivialia inſtructivo ſuccedanea ſunt.

1) *Botanica* Veterum. *Rhamnus* Frangula. *Lyſimachia* Nummularia. *Convolvulus* Scammonia. *Gentiana* Centaurium &c.

Recentiorum. *Antholyza* Cunonia. *Cordia* Sebeſtena. *Cerbera* Thevetia &c.

2) *Vernaculae. Paulinia* Cururu. *Cactus* Pitaiaya. *Epidendrum* Vanilla. *Theobroma* Cacao. *Creſcentia* Cuiete &c.

3) *Analogica. Turnera* ciſtoides. *Melaſtoma* groſſularioides. *Saponaria* ocymoides. *Arenaria* ſerpillifolia. *Cactus* portulacifolius &c.

4) *Pharmaceutica. Salvia* officinalis. *Papaver* Rhoeas. *Origanum* Majorana. *Helleborus* niger &c.

5) *Medica. Lobelia* ſiphilitica. *Inula* dyſenterica. *Coniza* antihelmintica, *Caryophillus* aromaticus &c.

6) *Oeconomica. Athemis* tinctoria. *Gnaphalium* coronarium. *Lathyrus* ſativus. *Hibiſcus* eſculentus.

Arbitraria ſunt caetera omnia deſumpta

1) *A dubio charactere. Milium* paradoxum. *Selago* dubia. *Tropaeolum* hybridum &c.

2) *A magnitudine. Alſine* media. *Lachea* major. *Androſace* maxima &c.

3) *A loco natali congeneribus communi.* *Evonymus* europaeus. *Aira* montana. *Veronica* alpina. *Vicia* ſegetum &c.

4) *A copia.* *Beta* vulgaris. *Commelina* communis &c.

5) *A ſcriptore botanico.* *Cortuſa* Mathioli. *Verbaſcum* Osbekii. *Ambroſinia* Baſſii. *Lobelia* Kalmii &c.

6) *Ab incongruo vocabulo.* *Inula* oculus Chriſti. *Rhamnus* Spina Chriſti. *Chenopodium* Bonus Henricus. *Amaryllis* Bella donna. *Rumex* patientia. *Pedicularis* ſceptrum carolinum &c.

Superflua ſunt in differentia ſpecifica nomina ſuperlativa, ut e. g. caulis ſimpliciſſimus, Folia integerrima &c.

Idem ſignificat Caulis ſimplex, Folium integrum &c.

Specierum cognitionem promovent Synonima, Delineatio, Deſcriptio, critica, Nomina vernacula, Locus natalis, Menſura, Tempus foliationis, floreſcentiae & partus

Synonima. Individui cujuſque perfecta Synonymia Opus eſt immenſi laboris a Monographo ſuſcipiendum. Univerſaliſtae, ac Floriſtae ſuffecerit ea duntaxat adduxiſſe, quae novis differentiis promovent ſpecierum cognitionem. Talia dederunt LINNAEUS, HALLERUS, GRONOVIUS, ROYENIUS, GMELINUS, ALLIONIUS, BERGIUS, AUBLETIUS, IACQUINIUS, FORSKALIUS, & alii.

Synonimiae ſubiungitur, vel anteponitur differentia ſpecifica propria, aut ab alio ſcriptore mutuata, in qua repeti non debent vocabula adhibita in characteribus, quae Generum Ordines conſtituunt, ne differentia ſpecifica abſque neceſſitate prolixa nimis evadat. En exemplum.

ORCHIS (*pyramidalis*) *auriculis binis ad baſim labii trifidi.* FLOR. CARNIOL. 1105.

Orchis purpurea; ſpica congeſta, pyramidali. RAII. *Syn.* III. T. 18. SEQUIER. *Veron.* I. p. 129. T. 15. f. 11.

Orchis radicibus ſubrotundis; ſpica denſa; calcaro longiſſimo; flabello bicorni, aequaliter tripartito. HALL. *Helv.* 1286. T. 35.

Orchis bulbis indiviſis; nectarii labio bicorni, trifido, aequali, integerrimo; cornu longo; pe-

petalis ſublanceolatis. LINN. S. N. p. 589.

His adduntur loca natalia.
- deſcriptio botanica.
  - critica botanica, ſi operae praetium ſit.
- uſus genuinus, medicus, aut oeconomicus.

Delineatio. Figura Plantae novae obſcurae, aut nondum rite delineatae, utiliſſima eſt; id enim exprimit, quod calamo indicari non poteſt, deſcriptionis defectus ſupplet, ac ſpeciei cognitionem reddit longe faciliorem.

Icones autem debent eſſe
1) perfectae, quae characterem claſſicum, genericum & ſpecificum repraeſentent.
2) æri inciſae, fundamentales, aut rite adumbratae.
3) non pictoria licentia fucatae.

Deſcriptio, & quidem
1) perfecta novarum ſpecierum.
2) novis obſervationibus illuſtrans jam inventas.
3) inſtituta idiomate botanico, non oratoria dictione.

me-

Perfecta deſcriptio tradit

1) omnium partium proportionem, ſitum, figuram, numerum, magnitudinem, & ſuperficiem, incipiendo a germinatione, uſque ad fructus maturitatem, juxta ea, quae dicta ſunt in *Parte* I. *de Partibus Plant.*

2) Habitum, colorem, ſaporem, odorem, lacteſcentiam, aliaque attributa. En exemplum.

SILENE *Noctiflora*. *Radix* annua, fibroſa, deſcendens, rigida, albida.

Caulis erectus, teres, villoſus, ramoſus.

Folia oblonga, ſeſſilia, integra, villoſula, oppoſita, acuta.

Rami e ſummo caule floridi, viſcoſi.

Pedunculus inter ramos, duoque alii terminales, inter quos tertius, nudus.

Calyx cylindricus, villoſus, decemſtriatus, quinquedentatus, perſiſtens.

Petala quinque, unquiculata; limbo bipartito.

Stamina decem: alternis ex receptaculo, aliis ex unguibus petalorum.

Germen diſco impoſitum.

Styli tres.

Capſula oblonga, unilocularis, ſexvalvis.

Semina multa, ſubreniformia, verrucoſa, receptaculo medio affixa.

Cotyledones lanceolatae, die 13. April.

Flores primi. 19. Maii.

Fructus perfecti 21. Iunii.

Botanica deſcriptio compendioſa ſit, terminis cognitis tradita, abſque oratoria garrulitate.

Hiſce addi poſſunt plantae vis medica & oeconomica, qualitas, vita, cultura, aliquae phyſicae obſervationes.

Critica botanica exhibet Hiſtoriam Plantae, quam tradit Doctor, qui incipiens ab Inventore, enarransque fata, quae ſubiit, maturo judicio ſeparat inania ab utilibus, ut merita ſcriptorum in apricum proferantur. En exemplum.

ORCHIS (*Monorchis*).

Admiratio ſubit, quando apud C. BAUHINUM unicum ſynonimum video CLUSII, cum dubio de alio Synonimo. G. GESNERI. Nam praeterquam quod de C. GESNERI ſtirpe nullum ſit dubium, manifeſte huc pertinet *Satyrii* VII. prima ſpecies in apricis montibus TRAGI. deinde *Triorchides Lobelianae* ad Monorchidem ſpectant, quibus rotundi bulbi ſunt, & quas nemo mortalium poſt GEMMAM diſtinctas vidit. Haec ſunt *Orchis friſia littoralis*, ſeu *Triorchis lutea tertia* LOBELII, ex qua nata eſt *Orchis friſia littoralis* LUGDUNENSIUM, PARKINSONII, AMBROSINII; *Teſticulus luteus*, *Orchis lutea* TABERNEMONTANI, *Orchis lutea hirſuta* I. BAUHINI & RAII, *Orchis friſia littoralis* LOBELII, CHABRAEI. Deinde huc pertinet *Orchis minor Leodienſis* LOBELII, ex qua provenerunt *Triorchis altera lutea* C. BAUHINI, & RAII, *Triorchis lutea* I, TABERNEMONTANI. Tandem huc etiam referenda eſt *Triorchis lutea flore luteo*, ſive *Baſilica minor*, *Serapias*, & *Triorchis* AEGINETAE, LOBELII, quae eadem eſt *Triorchis flore luteo Gemmae* LUGDUNENSIUM, *Triorchis lutea* I. TABERNEMONT. *Triorchis lutea flore glabro* C. BAUHINI, MORISONII & RAII. Quare non erat, cur quinque nomina nova obrutae jam herbulae hiſtoriae inferret MENZELIUS, neque erat, cur in MENZELIO conſiſteret MICHELIUS, quo aliae Monorchidis deſcriptiones antiquiores ſunt, & inter eas eximia CLUSII & I. BAUHINI. Alias etiam icones dederunt LOBELIUS & RUPPIUS, etſi non optimas, ut mirabile ſit, quod ommiſſa fuerit a TOURNEFORTIO Galliae forte non indigena. HALLER *Opuſc. bot.* p. 90-93.

Cavendum vero, ne *Critica botanica* turpiſſima mordacitate aliorum merita deprimat.

Vernacula nomina ſibi nota reddere, & Plantarum natalibus locis ſubjungere debet Floriſta, ut noviter accedens Botanicus eas facilius inveniat, earumque uſum medicum & oeconomicum ab incolis citius addiſcat.

Menſura deſumenda a pede pariſino, cujus
lineae 12) conſtituunt unciam unam.
unciae 12) . . . . . . pedem unum.
pedes 6) . . . . . . orgyam unam.

Loca natalia ſuperius deſcripta ſunt.

Tempus proferens cotyledones, flores, fructus; unde *Florae Calendarium*, climatis cujusque indolem, ac requiſitum cuique Plantae colorem indicat; ut e. g. *In Horto botanico Ticinenſi.* A. 1779.

Ciſtus ledifolius.	*Cotyled.* ellipticae 11. Maii. *Flores* 23. Maii. *Fructus* 27 Iunii.
Dracocephalum peltatum	*Cotyled.* cordatae 7. Maii. *Flores* 13. Maii. *Fructus* 27. Iunii.
Papaver Argemone	*Cotyled.* cordatae 7. Maii. *Flores* 13. Iunii. *Fructus* 28 Iunii.
Silene noctiflora	*Cotyled.* lanceol. 8. Maii. *Flores* 19. Maii. *Fructus* 29 Iunii.
Draba aizoides	— — — — — *Flores* 11. April. *fructus* 8. Maii.

Lathyrus articulatus	*Cotyled.* ellipticae. 8. Maii. *Flores* 16. Iunii. *Fructus* 2. Iulii.
Linum uſitatiſſimum	*Cotyled.* ellipticae 6. Mai. *Flores* 14. Maii. *Fructus* 28. Iunii.
Sinapis orientalis	*Cotyled.* bilobae — — — *Flores* 3. Maii. *Fructus* 29. Iunii.
alba	*Cotyled.* bilobae — — *Flores* 2. Maii. *Fructus* 29. Iunii.
Braſſica orientalis	*Cotyled.* ſubellipticae — *Flores* 12. Maii. *Fructus* 29. Iunii.
Crambe hiſpanica	*Cotyled.* ſubbilobae. 7. Maii. *Flores* 26. Maii. *Fructus* 1. Iunii.
Anchuſa undulata	*Cotyled.* ovatae 9. Maii. *Flores* 13. Iunii. *Fructus* 4. Iulii.
Geum urbanum	*Cotyled.* ovatae — — *Flores* 20. April. *Fructus* 8. Iulii.

PARS V.

VARIETATES PLANTARUM.

Varietatem in Regno Vegetabili *conſtituit quaelibet mutatio Plantis inducta, a Climate, Cultura, aut Loco natali.*

Hinc duplex Varietas, naturalis videlicet, aut artificialis.

Varietates naturales probe obſervandae, ut a ſpeciebus diſtinguantur.

Immenſus eſt harum numerus, cum nulla fere pars Plantae ſit, quae variare non poſſit; hiſce itaque non multum immorabor.

Varietates conſtituunt.

1) *Radix Braſſica* oleracea; radice tuberoſa, fibroſa.
Daucus ſativus; radice lutea, alba, atrorubente.
Raphanus ſativus; radice alba, nigra, rotunda, elongata.

2) *Caulis. Buxus* ſempervirens, humilis, & arboreſcens.
Pinus mugho *Flor. Carniol.* caulem extulit in Horto Vindobonenſi.

Crataegus Oxyacantha, *Ononis* arvenſis, *Rubus* fruticoſus; caule ſpinoſo, & inermi.

3) *Folia.* Tilia europaea, *Alchemilla* vulgaris; foliis glabris, & hirſutis.

Ranunculus Ficaria, *Helleborus* viridis, *Pulmonaria* officinalis; foliis maculatis, & immaculatis.

Hypochoeris macul. *Sinapis* arvenſis; fol. integris, & diviſis.

Bromelia Ananas; Fol. dentatis, & integris.

Hedera Helix; fol. cordatis, & angulatis.

Sambucus nigra, *Euphraſia* officinalis; fol. etiam laciniatis.

Saxifraga 934. HALLER. fol. integris, & tridentatis.

Ilex Aquifolium; fol. inermibus, & ſpinoſis.

4) *Spinae.* *Berberis* vulgaris; ſpinis ſimplicibus, & compoſitis.

5) *Calyx.* *Arctium* Lappa; cal. glabro, & tomentoſo.

6) *Flores.* *Senecio* viſcoſus & Iacobea, ac *Matricaria* Parthenium,

nium; diſco radiato & nudo.

7) *Corolla.* *Campanula* perfoliata, *Ruellia* Clandeſtina; corolla praeſente, ac deficiente.

Cichorium Intybus, *Lactuca* perennis, *Aſter* alpinus, *Carduus* criſpus.

Globularia vulgaris, *Cacalia* alpina, *Aconitum* Napellus; corollis colorem caeruleum in album mutantibus.

Borrago officinalis; flore rubro.

Saxifraga oppoſitifolia I. R. H. floribus caeruleis.

Centaurea orientalis, *Trifolium* pratenſe, flor. flavis.

Pedicularis paluſtris, *Anagallis* arvenſis, *Soldanella* alpina, *Gentiana* purpurea; floribus albis.

Scrophularia nodoſa; flor. viridibus.

Tragopogon pratenſe, flor. viridi.

Melampyrum ſylvat. & nemoroſum, *Trifolium* Melilotus officin. *Verba-*

baſcum Lychn. & nigrum; floribus albis.

Heracleum Sphondylium, Tragoſelinum 1. HAL. fl. rubris.

Corolla luxurians, eaque

1) *plena*, quae omnia ſtamina excludit, familiaris *Papaveri*, *Diantho*, *Lychnidi*, *Tulipae*, *Cheirantho*, *Pyro*, *Amygdalo*, *Roſae*, *Myrtho* &c.

2) *multiplicata* majore numero petalorum, abſque excluſione omnium ſtaminum.

3) *degenerans:* radio, floſculisque in tubulos mutatis, in *Chryſanthemo* Leucanth. *Anthemi* Cotula, *Bellide*, Matricaria &c.

monſtroſa. Flos unicus ex binis connatis, in *Stachi* ſylveſtri.

Reſedae undatae flores ſuperiores loco ſtyli protulerunt ſurculos folioſos, excluſis ſtaminibus.

Dictamnus albus; calycinis foliis 5 inaequalibus; corolla herbacea, pentapetala; ſtaminibus ex intervallis petalorum, quinis duntaxat & viridibus; *Antheris* effoetis. E medio floris prodibat pedunculus ſuſtinens folia quina lanceolata ; Germinibus nullis.

Vicia Cracca, flore ex quinque vexillis in tubum connatis HALLER.

Geum rivale, calycinis foliis & petalis 8, ſtaminibus nullis, ſurculo folioſo, centrali *Fl. Carniol.*

Ranunculus bellidiflorus I. GESNER.

In *Peloria* LINN. flor. monſtroſos, ſuperiores vero natur. vidit KRASCHENINIKOF. Ergo *Peloria* non eſt hybrida planta, ſed monſtrum *Linariae.*

Trifolium repens protulit flores uno aliove petalo in folium mutato HALL.

Flores monopetali rarius multiplicantur, frequentius polypetali.

8) *Nectaria* multiplicata in *Aquilegia*, *Nigella*, *Narciſſo.*

9) *Stamina* in petala ſaepe degenerantia

10)

10) *Stylus* prolifer in *Diantho*, *Ranunculo*, *Veronica* pinnata &c.

11) *Fructus* variant magnitudine, colore, ſapore, ita e. g.

Baccae nigrae & albae in *Vaccinio* Myrth.

albae, nigrae, virides, in *Sambuco* nigra.

nigrae, luteae, rubrae, in *Solano* nigro.

12) *Sexus*. *Morus* alba in Inſubria dioica.

Acer campeſtre floribus omnibus perfectis, in alia vero Planta maſculis, & polygamis,

Lychnis dioica, floribus Hermaphroditis in Tataria. HALL. *Götting*.

Zea Mais paniculae maſculae floribus nonnullis quandoque fructiferis. GEOFROY.

Spiraea Aruncus, ſpica androgyna in horto Ludvigiano. HALL.

Veratrum nigrum, floribus omnibus perfectis a me viſum.

Fragaria veſca, ſexu quoque diſtincta, du CHESNE.

Parietaria officinalis, floribus in eadem planta maſculis, femineis, & incompletis. FLOR. CARNIOL.

Myriophyllum LINNAEO monoicum, HALLERO & ADANSONIO polygamum, LUDWIGIO hermaphroditum.

Cannabis protulit flores femineos maribus, & viciſſim femineos maſculis immixtos. HALL.

Ilex Aquifolium, monoicum, dioicum, & hermaphroditum. HALL.

Viburnum Opulus flores centrales fertiles mutat in ſteriles.

Milleria biflora flor. nunc maſculis & femineis, nunc maſculis ſolis, LOEFLING.

Lychnis dioica cum flore uno hermaphrodito viſa a GUNNERO *FL. Norveg.*

Nunc quoque paſſim ignoramus, quid ſit ſpecies, & quid varietas.

Hiſtoriae Fungorum haec praecipua calamitas eſt.

Fumariam radice ſolida, ab ea, quae cavam habet, diſtinguit HALL.

Rumex divaricatus, & prolifer LINN. non ſunt ſpec. diſtinctae WILLICH.

De *Salicibus* & *Roſis* jam dudum dubitavi, an tot ſpecies ſint, quod nunc etiam numerantur.

Lichenes coralloideos ab unico patre pyxidato genitos fuiſſe, mecum ſentit HALL.

Utinam Botanici omnes diligenti cultura, & judicioſa comparatione genuinos ſpecierum omnium characteres in lucem protraherent.

PARS VI.

VIRES PLANTARUM.

Vires Plantarum plurimae latent, multae fabuloſae ſunt, paucae vero genuinae. Dum ergo de his agentes legitis libros, quaeſo, memores eſtote ſemper, non omnia vera eſſe, quae *ipſe dixit*, ſed quae a fidelibus experimentis peritique Botanici judicio commendantur. Quomodo vero, etiam a priori, Plantarum vires dignoſci queant, paucis indicabo.

Plantae, quae naturali claſſico charactere conveniunt, eaſdem quoque vires utplurimum poſſident; ita

Incompletae inertes, aut ſuſpectae.

Obſoletae dorſiferae terreo principio & alcali fixo abundant, ſubadſtringunt.

inundatae acres, infidae.

Palmae fructus dant ſalubres, at nuclei adſtringentes.

Gramineae folia Pecoribus grata, ſemina minora Avibus nonnullis, majora Homini eſculenta, excepto *Lolio*.

Liliaceae viſcidae, aut venenatae, exemplo *Veratri*, radicis *Fritilariae* coronae, *Hyacinthi*, *Narciſſi*, aliorumque.

Satyria viſcida, minus acria, nonnulla aromatica, ut patet ex *Epidendro* Vanilla.

Scitamineae monandrae aromaticae, acres; aliarum vero fructus plerique acidi,

Umbelliferae aromaticae, aut venenatae, at quaedam cicures & eſculentae.

Compoſitae pleraeque ſaponaceae, & reſolventes; quaedam aromaticae, aut purgantes; nonnullae venenatae.

Epicarpiae ſtellatae diureticae, aliae acres, nervinae, quaedam vero noxiae.

Campanaceae cucurbitaceae pleraeque acres.

Contortae inſidae, aut venenatae, praeſertim radix, cortex, ſemen.

Aſperifoliae adſtringentes, vulnerariae.

Verticillatae aromaticae, emenagogae, tonicae.

Perſonatae beneficae paucae.

Tubulatae luridae, ſuſpectae, praeſertim bacciferae.

Calycanthemae angioſpermae, drupa eduli, antipyretica; gymnoſpermae adſtringentes.

Tricoccae acres, deleteriae.

Polycarpiae multiſiliquae acres, ſuſpectae, venenatae.

Columniferae involucro floris triplici, emollientes, demulcentes.

Leguminoſae fructu uniloculari, folia grata lumentis; ſemina vero farinacea, eſculenta, at flatulenta largiuntur.

Antiſcorbuticae antiacidae.

Defloratae, aquoſae, oleraceae non paucae.

Coniferae, reſinoſae, diureticae.

Fungi, Deorum cibus.

Plantae, quae Genere naturali conveniunt, etiam viribus plerumque conveniunt.

Ara acria.
Salviae ſtomachicae.
Rhea purgantia.
Malvae emollientes.
Hyperica vulneraria.
Atriplices oleracei.
Papaveres paregorici.
Alſines ſubacidae.
Roſae adſtringentes.
Pini balſamicae.
Sambucci abſtergent.
Lauri aromaticae &c.

Noxia & utilia humanis ſenſibus vix deteguntur; ſunt tamen

Foetida noxia plurima, quaedam antihelmintica, antihiſterica.

Nauſeoſa non nutrientia, ſaepius infida.

Squallida ſuſpecta.

Paluſtres plantae multae venenatae, exemplo, *Phellandrii, Cicutae, Ranunculi* &c.

Suſpectae quoque ſunt illae, quas non deguſtant Animalia, ut *Aconitum*, Veratrum, Flores *Colchici* autumnalis &c.

Suaveolentia ſaepius tonica, cardiaca, excretiones ſollicitant, vires reſtaurant, flatus diſcutiunt.

Inodora pleraque inertia, mucilaginoſa, emollientia, acre corrigunt, mucum deficientem reſtituunt, fibrarum irritabilitatem nimiam corrigunt.

Acida antiphlogiſtica, acrimoniae alcalinae oppoſita.

Amara ſtomachica, bilis defectum ſupplent, viſcidum ſpontaneum deſtruunt, acrimoniae acidae reſiſtunt, roborant, attenuant.

Stiptica adſtringentia.

Certiores Plantarum vires detexit neceſſitas, caſus fortuitus, audax experimentum.

Inopes, expoſiti, derelicti, propriis periculis invenere plurima humano Generi noxia, & utilia, primique viroſas Aſſyriae radices, inde laeſi indicarunt Auguſti milites, teſte PLUTARCHO.

Plantas venenatas deguſtabat Vir ſummus *Conradus* GESNERUS, ut genuinas earum vires in ſe ipſo exploploraret, cujus exemplum imitatus eſt Ill. STOERKIUS.

Vera tamen cujusque natura, nonniſi medico effectu pernoſci poteſt, opus ingens occultumque divinitatis, quo nullum reperiri poſſit majus. PLIN. H. N. L. 19.

Uſus plantarum duplex eſt, oeconomicus nimirum, & medicus.

Oeconomia ſanis corporibus alimenta, *Medicina* adverſae valetudinis praeſidia ſuppeditat.

Hinc quaelibet Planta aut nutrit, aut alterat. Nutriens eſt illa, quae humoribus noſtris aſſimilatur, ſerius, aut citius; alterans vero ea dicitur, quae nutriendo inepta, nervei ſyſtematis functiones plus minus perturbat.

Vegetabilia nutrientia ſunt

1) *Cerealia.* Semina *Tritici*, *Secales*, *Hordei*, *Avenae*, *Oryzae*, *Milii*, *Panici*, *Zeae*, *Fagopyri* &c.

2) *Dulcia.* Fructus *Palmarum*, *Ficus*, *Ceratoniae*, *Bromeliae*, *Muſae*, *Pyri*, *Pruni*, *Vitis*, *Perſici*, *Fragariae*, *Mori*, *Garciniae*, *Mammeae* &c.

3) *Mucilaginoſa.* *Malva*, *Althea*, *Hibiſcus*, *Lichen* islandicus.

4) *Oleoſa.* Nux *Iuglandis*, & *Amygdali*, *Semen Coryli*, *Pini* &c.

5) *Leguminoſa.* Fructus *Piſi*, *Fabae*, *Lentis*, *Ciceris*, *Phaſeoli*, *Lathyri*, *Trigonellae* &c.

6) *Oleracea.* Folia *Spinaciae*, *Bliti*, *Betae*, *Urticae*, *Atriplicis*, *Chenopodii* &c.

7) *Cicurata.* *Braſſica* oleracea, *Daucus* Carota, *Campanula* Ranunculus, *Ranunculus* Ficaria, *Solani* tubera, *Aſparagi* turiones &c.

Panis, ciborum princeps, fit ex farina cerealium, a furfure depurata, aqua rite ſubacta, & fermentationis excitatae auxilio attenuata. Pro varia itaque cerealium indole, fermenti natura, aëris temperie, aquae ingenio, varioque farinam pingendi, coquendique modo, diverſus quoque panis conficitur, & quidem optimus ex Tritico, acidior ex Secale, deterior vero ex Hordeo, Avena, aliiſque cerealibus.

His ſuccedanea ad Panificia ſunt
Fructus *Fagi* Caſtaneae *Limonenſibus.*
Hymeneae Conturbaril. *Dalecarlis.*
Meſpili Oxyacanthae *Carniolis.*
Radices *Iatrophae* Manihot. *Peruvianis.*
Quaiaci officinalis *Hiſpaniolis.*
Solani tuberoſi *Hybernis.*
Dioſcoreae variae *Indis.*
Helianthi tuberoſi *Etruriis.*
Rhizophorae gymnorh. *Indis.*
Herbae *Lichen* islandicus *Islandis.*
Trifolium pratenſe *Scotis.*
Cortex *Pini* ſylveſtris *Dalecarlis.*
Semen *Helianthi* annui *Mexicanis.*

Ex aliis quoque ſubſtantiis ad vegetabile regnum ſpectantibus panis conficitur V. MANETTI *Panizzazione.*

Oeconomia quaerit etiam Plantas
1) gratas Iumentis, Pecoribus, Apibus, Avibus &c.

2) coloribus conficiendis aptas.
3) Inſectis infenſas.
4) Animalibus noxias.

Plantae *Zoobromae*, ſeu pabulum ſalubre dantes

Iumentis & Pecoribns, ſunt Folia *Graminum*, *Scirpus*, *Triglochin*, *Melampyrum*, *Vicia*, *Lotus*, *Trifolium*, *Medicago*, *Spergula*, *Anobrychis*, *Ulmus*, *Populus*, *Betula*, *Fraxinus*. *Liguſtrum* &c.

Suibus. *Stachys*. Fructus *Quercus*, *Fagi*, *Cucurbitae*, *Lichen islandicus*. Radix *Cyclaminis* &c.

Ovibus. *Anthyllis*, folia *Fraxini*. *Plantae aromaticae verticillatae*.

Tinctoriae. Color niger. *Lycopus* europaeus cum Vitriolo coctus.

viridis. Fol. *Scabioſae*. Baccae *Rhamni* catharct. &c.

ruber. Rad. *Rubia* tinct. *Cuſcuta*. Baccae *Vac-*

Vaccinii. Flores *Hyperici*, Fructus *Baſellae* rubrae &c.

luteus. *Geniſta* tinct. Cortex *Rhamni*, *Berberis*, *Pyri*, *Carpini*. Folia Betulae, Flores *Calendulae* &c.

caeruleus. *Iſatis*, *Serratula*, *Indigofera* &c.

fulvus. *Bidens*, *Lycopodium*.

Inſectifugae ſeu adverſae.

Tineis. *Milium*. *Aſperula*. *Myrica* &c.

Pediculis humanis. Pulvis fructus *Evonymi*, & ſem. *Aconiti* ſtaphys. &c.

Pecorum. *Aconiti* decoctum.

Suum. *Licopodii* decoctum.

Grillis domeſt. Fumus radicis *Nympheae*, & corticis *Populi*.

Muſcis. *Antirrhynum*, *Agaricus* muſcarius &c.

Culicibus. *Inulae*, & *Boleti* fumus.

Cimicibus. *Actea*, *Cannabis*, *Myrica*, Oleum Tabaci, Fumus *Capſici*.

Noxiae Animalibus, & quidem

Equo. *Phellandrium*, *Chamaeclema*, Semen *Lentis* &c.
Bovi. *Cicuta*. *Anemone*. *Equiſetum* &c.
Ovi. *Myosotis*. *Droſera*. Anthericum, Iuncus, Mercurialis, Equiſetum &c.
Anſeri. *Ethuſa*.
Avibus. Amygdalae amarae.

Uſus Medicus ea reſpicit, quae humano corpori applicata laeſas eiuſdem functiones ſtatui ſano reſtituunt. Cum vero machinae animalis partes quaedam ſint ſolidae, aliae autem fluidae, erunt etiam medicamenta, quae modo ſolida, modo vero fluida magis afficiunt. Partes ſolidae peccant teneritudine, ſpaſmo, aut atonia: fluidae autem motu, copia, aut qualitate. Copiam minuunt evacuantia, qualitatem vero morboſam emendant alterantia. Hinc medicamenta ex vegetabili Regno deſumpta erunt

1) *Stimulantia*, aut *Paregorica*, quibus fibrarum irritabilitas augetur aut diminuitur.
2) *Edulcorantia*, aut *Attenuantia*, quibus humorum acrimonia, aut ſpiſſitudo nimia corrigitur.

Stimulantia ſunt

1) *Fragrantia*. Flores *Polyanthes*, *Iaſmini*, *Tiliae*, *Vio-*

Violae, *Primulae*, *Cheiranthi* &c.

Herbae *Meliſſae*, *Satureiae*, *Majoranae*, *Lavendulae*, *Thymi*, *Valerianae* celticae &c.

Eadem *Emenagoga* acriora, ut *Dictamnus*, *Sabina*. *Aloës* extractum, *Croci* ſtigmata, *Rorismarini* oleum eſſentiale, *Menthae* infuſum vinoſum chalybeatum, praemiſſis praemittendis.

2) *Aromatica*. Radix *Acori*, *Angelicae*, *Imperatoriae*, *Zinziberis*, *Curcumae*, *Ariſtolochiae* &c.

Cortex *Cinamomi*, *Caſcarillae*, *Citri*, *Aurantiorum* &c.

Folia *Lauri*, *Roriſmarini*, *Menthae*, *Salviae* &c.

Fructus *Caryophylli*, *Iuniperi*, *Miriſticae*, *Vanillae*. &c.

Semen *Cumini*, *Aniſi*, *Foeniculi*, *Badianae* &c.

Reſina *Lauri* Camphorae, Benzoes &c.

Eadem *Diaphoretica* & *Sudorifera* eo regimine data, quo humores ad vaſa cutanea determinantur.

3) *Sternutatoria*, ſeu membranam pituitariam irritantia. Radix *Primulae*. Folia *Aſari*, *Arnicae*, *Betonicae*, *Nicotianae*. Flores *Convallariae* maialis.

4) *Expectorantia*, quae reſpirationis organa ſtimumulant, ut viſcidam, aut purulentam colluviem excutiant. Stipites *Solani* Dulcamarae. Folia *Veronicae* officin. *Marrubii* albi &c.

5) *Diuretica*, ſeu ſecretionem, & excretionem urinae promoventia. *Ononis*. Cortex *Capparis* aculeatae. Radices *Aſparagi*, *Petroſelini*. Emulſio ſeminum: *Achras* Sa-

Sapotae. *Parietaria.*

6) *Purgantia* antiphlogiſtica. Pulpa *Caſſiae*, *Tamarindi*. *Manna*.

Lenia. Rad. *Rhei*, *Ialapae*. Flores *Perſici* &c.

acriora. Rad. *Hellebori*, *Iridis*, *Bryoniae*, *Eupatorii*. Folia *Gratiolae*, *Sennae*, *Aſtrantiae*. Baccae *Rhamni* cath. *Ilicis* Aquifolii. Semen *Sambucci Ebuli*. Gummi *Cambogiae* &c.

7) *Emetica*. Folia *Globulariae* Alypi. Rad. *Ipecacuanae*. Semina *Paeoniae*, *Coluteae*, *Cytiſi* Laburni &c.

8) *Rubefacientia*, *Sinapis*. *Ranunculus* &c.

Paregorica contraria prioribus, eaque *Anodyna*. *Papaveris* folia, flores.

Narcotica. *Opium*. *Hyoſciamus*. *Belladona*. *Mandragora*, *Lactuca* viroſa. *Stramonium* &c.

2) *Edulcorantia*, quae

1) *Glutinoſa*, viſcido humore oblinientia ſenſiles fibras, ne irritentur ab acri. Rad. *Symphyti*. Fol. *Malvae*,

Altheae. Semina *Lini* ſativi &c.

2) *Oleoſa*. Olea expreſſa, non rancida.

3) *Antiacida*. Antiſcorbutica; & amara.

4) *Antialcalina*. Acida, ac inprimis ſuccus *Limonii*, *Ribeſii*, *Berberis*. *Acetum* &c.

5) *Antiſeptica*. *Cortex peruvianus*. *Scordium*. *Chamomilla* &c.

Cancro oppoſita. *Cicuta*. *Onopordon*. Rad. *Dauci* Carotae; valent tamen quantum poſſunt.

6) *Conſolidantia*, ſoluti unionem promoventia. *Solidago* Virgaurea. *Lyſimachia* Nummularia. *Sanicula* *Pyrola*. *Hypericum*. *Alchemilla*. *Pulmonaria*. *Lichen islandicus* &c.

7) *Adſtringentia*, ſeu inſpiſſantia, oppoſita ſtimulantibus. *Arbutus*, *Vaccinium*. *Potentilla*. *Geum*, *Biſtorta*, *Quercus*. *Agrimonia*. *Millefolium*, *Viſcum* &c.

Attenuantia, & quidem

1) *Diluentia* aquoſa. *Fumaria*. *Portulaca*. *Alſine*. *Borrago*. *Sedum* &c.

2) *Saponacea. Cichorium. Scorzonera Leontodon. Saponaria officin.* &c.

3) *Diſcutientia. Melilotus*, Farina ſeminum *Lentis*, *Bryoniae* radix &c.

Non omnis Planta omni tempore eaſdem poſſidet vires, nec omnes partes ejuſdem Plantae eadem pollent efficacia.

Rhamni cath. folia adſtringentia, fructus maturi purgantes.

Sambucci nigrae cortex interior viridis catharcticus, baccae ſaponaceae.

Papaveris albi capita & flores anodyni, ſemina oleoſa.

Rhei radix purgans, ſemina & folia ſubadſtringentia &c.

Cautus ergo ſit Medicus in determinandis Plantarum viribus, ne decipiatur, ac decipiat.

Medicus Plantarum uſus huic regulae innititur: *Contraria contrariis curantur.*

Hinc

Phlogoſim ſanat *Adipſia* quam excitant *acida*
Obſtipationem—*Diarrhaea* — —*purgantia*
Diarrhaeam —*Obſtipatio* — —*adſtringentia*
Melancholiam—*Febris* — —*ſtimulantia*
Convulſionem —*Sopor* quem — —*opiata*
Dolorem —*Dol.alterius loci* - *rubefacientia*

Plantae, quarum vis medica haeret in ſubſtantia volatili, recentes adhibendae.

Plantae *aromaticae*, nervinae, dantur forma infuſi, conſervae, aut olei eſſentialis.

amarae, in extracto, electuario, ſucco, decocto.

adſtringentes, eodem modo, ut amarae.

purgantes, & *emeticae* in pulvere & electuario; acriores vero in decocto, & extracto.

Ridiculae ſunt Aquae deſtillatae nutrientes, aut adſtringentes; vis enim nutriens, & adſtringens non tranſit in excipulum.

Doſis rerum adhibendarum a prudente Medico aptanda aetati, ſexui, temperamento, climati, vivendi modo, viſcerum conſtitutioni, & ſingulari Individui cujusque naturae, quod materia medica docet.

Simplicia quaerit ſapiens, farragines amat empyricus, peſſimns hoſtis humani Generis.

PARS VII.

PLANTARUM OFFICINALIUM USITATISSIMARUM CHARACTERES SPECIFICI, ET VIRES MEDICAE.

CLASSIS NATUR. II. OBSOLETAE.

ORDO I. *Dorſiferae.*

Num. *GEN.* LINN. S. N.

1179. POLYPODIUM (*vulgare*) fronde pinnatifida: ſegmentis lanceolatis, ſubdentatis; radice ſquamoſa.
Offic. Polypodium guercinum. Radix.
Claſſ. artific. Cryptogamiae.
Vis abſtergens, reſolvens, alvum ſollicitans.
TOURNEFORT. *I. R. H. Tab.* 316.
FL. LOND. I.

1174. PTERIS (*aquilina*) fronde decompoſita: pinnulis ſeſſilibus lanceolatis, ſubcrenatis, ad nervulos villoſis. BLACWELL. *Tab.* 328.

Offic. Filix. Radix.

Claſſ. artific. Cryptogamiae.

Vis totius ordinis antihelmintica?

1180. ADIANTHUM (*Capillus Veneris*) fronde decompoſita; foliolis demum cuneiformibus. TOURNEFORT. *I. R. H. Tab.* 317.

Offic. *Capillus Veneris.* Frondes. Syrupus, qui fere merum eſt Saccharum.

Cl. artific. Cryptogamiae.

Vis totius Ordinis?

ORDO II. *Spadiceae.*

1128. ARUM (*maculatum*) foliis ſagittatis, erectis; ſpadice cylindrico. BLACWELL. *Tab.* 228.

Offic. *Aron.* Fecula.

Claſſ. artific. Gynandria.

Vis radicis acerrima. Fecula fere iners.

CLAS-

CLASSIS III. GRAMINEAE

ORDO I. *Triandrae.*

96. ELYMUS (*caninus*) foliis hirſutis; ſpiculis quinquefloris, ariſtatis, HALL. *Helv.* 1429.
Offic. Gramen. Rad.
Claſſ. artific. Triandriae.
Vis aperiens, leniter diuretica.

GMELIN. *ribis* I. *Tab* 27.

91. AVENA (*ſativa*) calycibus diſpermis, ſeminibus levibus: altero ariſtato.
Offic. Semen.
Cl. artific. Triandriae.
Vis nutriens, demulcens, ſubacida.

BLAKWELL *Tab* 422.

98. HORDEUM (*vulgare*) floribus omnibus perfectis, longe ariſtatis, calycibus ſetaceis.
Offic. Semen.
Claſſ. artific. Triandriae.
Vis nutriens, demulcens, ſubacida. Pa-

BLAKWELL *Tab.* 223.

nis. Cereviſia. Ptiſana.

ORDO II. *Hexandriae.*

443. ORYZA (*ſativa*) CATESBY Car. I. *Tab.* 14.
Offic. Semen.
Claſſ. artific. Hexandriae.
Vis nutriens, demulcens.

CLASSIS IV. LILIACEAE.

ORDO I. *Fructu ſupero.*

430. ACORUS (*calamus*) Planta aquatica, Spica attenuata, culmo folium referente. BLACWELL *Tab.* 416.
Offic. Radix.
Claſſ. artific. Hexandriae.
Vis aromatica, tonica.

405. ALLIUM (*ſativum*) bulbis aggregatis, caule folioſo: foliis planis, ſpatha univalvi. I. BAUH. II. p. 564.
Offic. Bulbi.
Claſſ. artific. Hexandriae.

Vis acris, diuretica, antihelmintica, lithontriptica, diaetetica.

ALLIUM (*cepa*) Bulbo tunicato; culmo nudo, inferne ventricoſo.

Offic. Radix.

Claſſ. artific. Hexandriae.

Vis reſolvens, emolliens in cocta radice, crudae diuretica, acris.

WEINMANN. *Tab.* 449. a

1120. **SMILAX** (*Saſaparilla*) caule aculeato, foliis trinerviis.

Offic. Radix.

Claſſ. artific. Dioeciae.

Vis demulcens, leniter reſolvens.

PLUKNEL. *Fig. imperfecta Tab.* III. 2.

SMILAX (*china*) caule aculeato, tereti; foliis inermibus, ovato-cordatis, quinquenerviis, LINN S. N. p. 655.

Offic. Radix.

Claſſ. artific. Dioeciae.

Vis demulcens.

PLUMIER *Pl. americ. Tab.* 83.

55. CROCUS (*ſativus*) ſpatha radicali, uniflora.
Offic. Stigmata.
Claſſ. artific. Triandriae.
Vis ſtimulans, humores rarefaciens, noxia magis quam utilis, etſi varias compoſitiones ingrediatur. Uſus Croci etiam culinarius, & oeconomicus ad tingendum quoque caſeum inſubricum

TOURNEFORT *I. R. H. Tab.* 184.

59. IRIS (*florentina*) ſcapo ramoſo, foliis longiore, multifloro, corollis barbatis, germinibus ſpatha gemina cinctis.
Offic. Radix.
Claſſ. artific. Triandriae.
Vis ſucci purgans, emetica.

KNORR *Delic.* I. *Tab.* 7.

IRIS (*germanica*)
Omnia eadem cum priore.

BLAKWELL *Tab.* 69.

240. ASPARAGUS (*officinalis*) herbaceus, foliis ſetaceis, inermibus, faſciculatis;

pedunculis geminis.
